THOMÆ CAMPEGII BONONIENSIS EPISCOPI FELTREN.

DE COELIBATU SACERDOTUM NON ABROGANDO.





VENETIIS, Ad signum Spei. M. D. LIIII.

REGINALDO POLO S. R. E. Cardinali Illustrißimo & Reuerendissimo,& Apostolicę Sedis Legato Thomas Campegius Bononien̄. Episcopus Feltren̄. S. D.



Ibellum de Cœlibatu, quem quinto ab hinc anno Amplitudini tuæ legendum præbueram, duabus de causis apud me retinendum duxeram: tum ne solus in publicum prodiret, cum ei comites pararem, ut simul prodeuntes se uicißim tueri poßent: tum uerò, ut interiecto temporis interuallo, si qua commutatione digna uiderentur, ea agnoscerem, & commutarem. quo quidem tempore nonnulla detraxi: plura (ut mea fert opinio) in melius commutaui: quædam, quæ non erant omittenda, etiam addidi. Hoc uerò tempore incredibili lætitia, qua tota Christiana Respub. exultat ego quoque sum affectus; posteaquàm accepi, Dei Opt. Max. munere, ac Serenißimæ Reginæ Mariæ integritate ac sanctitate, (quæ à uero Dei cultu ueráq; religione nullius quidem authoritate quauis maxima, aut impulsu deterreri potuit) esse factum; ut Britanniæ regnum, cuius cum Regibus intimo affinitatis uinculo es coniunctus, discußis tenebris bisq; obscurioribus ueram lucem conspicere cœperit: ac in omnibus ferè rebus ad ueram Ecclesiam, quæ unica est omnium Christi fidelium ma-

ter ac nutrix, se retulerit. Sed cum duo præcipuè ei desint, ne ad ueræ & sanctissimæ religionis perfectionem peruenerint; sacerdotum scilicet Cœlibatus, & Romani Pont. authoritas; faciendum esse duxi; ut tuo auspicio fretus, libellum de non abrogando sacerdotum Cœlibatu, à te iam antea lectum hac occasione oblata præter opinionem meam ederem, tibiq; dedicarem: quem minime uereor, quin pro tua humanitate ac probitate tuendum suscipias: quippe qui non solùm ea dignitate ac authoritate, quæ in te permagnæ sunt, sed etiam ea castitate, sanctimonia ac religione adhuc uixisti, ut sint innumeri, qui te non solùm castum & continentem, sed etiam uirginitate præditum meritò existiment & putent. Venit igitur ad te libellus iste, ut tua authoritate ac patrocinio eum ita tutum conserues, ut improborum lingua nullo ueneno eum aspergere possit. Te enim eo non indigere perspicio; qui maxima prudentia, sapientia, ac rerum omnium scientia & usu præditus facilè tuos Britannos & monere & persuadere poteris, ne legem Cœlibatus sacerdotum, abrogari uelint aut cupiant: sed eam potius studio dignam & sequantur, & amplectantur. Sed quid dixi tuos Britannos, cum nostros dicere potuissem? Meos enim existimo propterea quòd eos omnes summo semper amore sum prosecutus. Postaquàm xxxiiij. ab hinc anno unà cum Laurentio Cardinali Campegio germano meo Leonis Pont. & Apostolicæ Sedis Legato in eam insulam me contuli, ubi per annum & aliquot menses commoratus benigne humaniter, liberaliterq; à sanctissimis illis Episco-

pis & Illustribus Principibus & Proceribus, & cunctis nobilibus sui acceptus, & in primis ab ipso etiam Henrico viij huius Serenissimæ Reginæ parente; apud quem Orationem habui de pace inter Christianos Principes concilianda, deq; sanctissima in Christiani nominis hostes expeditione suscipienda. Horum benignitas ita me eis deuinxit ut cum eorum memoriam nunquam deposuerim, meritò meos appellare & possim & uelim. Tu igitur Cardinalis dignissime huius libelli tuendi munus suscipe; comites uerò eius interea apud me erunt: qui cum cognouerint hunc eorum prænuntium & germanum legentes studio & plausu fuisse complexos, tunc etiam ipsi è carcere & latebris prodibunt alacres. Sin autem pauentes ac timidi apud parentem suum latebunt, expectantes tempus, quo pretiosiori ueste induti se hominum conspectui exhibere possint & ualeant. Vale Amplissime Pater. Tuumq; Feltreñ. Episcopum ama, & tua authoritate foue atque defende.

INDEX EORVM, QVÆ IN HOC LIBELLO CONTINENTVR.

DE COELIBATV SACERDOTVM NON ABROGANDO, THOMÆ CAMPEGII EPISCOPI FELTRENSIS.

*



Ogit quandoque hominum puicacia & incredulitas acta (ut aiunt) agere, & lumen inferre soli; clarissima scilicet in dubium reuocare. Sic Dauid comites eum ex respõsis cœlestibus certissimũ de uictoria & liberatione Ceilæ coegerunt, ut denuò Deum cõsuleret. Primo Reg. ca.xxiij. Sic ætate nostra qui Cœlibatũ improbant, & legem Cœlibatus sacerdotũ abrogandam censent, post tot sanctissimorum Patrum testimonia, post tot sacrorum Conciliorum sanctissima decreta nos cogunt, ut de his denuò differamus. De Cœlibatus igitur partibus, de quibus Diuus Paulus Primæ ad Corinth.cap.vij. nos docuit, sermonem habituri statuemus primò Virginitatem: deinde abstinentiam in matrimonio: tertio Cœlibatus nobilitatem & utilitatem ostendemus: & ex his docebimus non abrogandam legem Cœlibatus: postremò aduersariorum obiecta dissoluemus.

A

DE VIRGINITATE.

Sumentibus itaq; nobis exordium à Virginitate
præfari liceat quod ſcitè Diuus Ambroſius in
1 libro de Virgini. ſcriptum reliquit. Nihil eſſe
laudabilius, quàm quod ab omnibus laudatur:
2 qualem Virginitatem eſſe compertiſsimũ eſt:
quæ omni ætate, apud omnes gentes, omnibus
legibus ad ſydera extollitur. Nam (ut auream
illam ætatem prætereamus; in qua ex Hiero-
nymi ſententia primi homines ante lapſum in
terreſtri paradiſo uirgines fuere; & Abel, qui
uirgo fuit, innocentiam) nonne illam uenerati
ſunt antiquæ legis præcipui Heroes religionis
3 noſtræ? Virgines enim fuere Helias, Hiere-
mias, Heliſeus; uirgo Daniel, & filij Propheta-
rum, ſi Hieronymo credimus: ad Euſtochium
de cuſtodia Virginitatis uirgo & Io. Baptiſta,
ut Eſſenos omittamus. Fœliciſsimo autẽ tem-
pore promulgati euangelij quanti facienda ſit
Virginitas ſuo exemplo monſtrauit Chriſtus
4 Ieſus: qui & uirgo ipſe fuit: uirginem matrem
5 habuit: uirginem adoptiuũ patrem. Virgines
complures Apoſtoli, ut filij Zebedæi, & uas
electionis Paulus. Eum enim fuiſſe uirginem
Ambroſius, & Hieronymus uериſimiliter cre-
dunt, ea ratione, quòd adoleſcens erat, cum uo-
ce cœlitus demiſſa uocatus fuit, Luca id atte-
ſtante Act. vij. cũ dixit. Et teſtes depoſuerunt
ueſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui

uocabatur Saulus. Non enim multo post lapidationem Stephani uocatus fuit. Proinde Ambrosius in illum locum primæ ad Corin. ca. vij. Bonum est illis, si sic permāserint, sicut & ego. inquit. Non diceret, Bonum est innuptis, sicut & ego; nisi esset integer corpore. Si enim habuit uxorem & hoc dixit, uirgines esse noluit. sed absit. Sic enim à pueritia spiritui seruiuit; ut huius rei studium non haberet: quippe qui iuuenculus anticipatus sit à gratia Dei. Nec placet sententia interpretantium hoc dictum ad Corinth. de uiduis, non de uirginibus: & Paulum prius uxorem habuisse, ex eo quod ipse dixit ad Philippen. cap. iiij. Etiam rogo & te germana compar, adiuua illas; quæ mecum laborauerunt in euangelio. Quoniam cum ad Philippen. scripsit Romæ erat; & prius ad Corinth. scripserat. Non itaque prædefuncta erat eius uxor, cum ad Corinthios scripsit: si in humanis erat, cum ad Philippenses. Propterea locus ille non de uxore, sed de socio interpretandus. Nec legendum Germana, sed Germane, ut ex sententia Chrysostomi interpretatus est Theophylactus. Nil mirū, si à Clemente Alexandrin. & quibusdam forsan alijs de hac re dissentimus. Nam de Origene non est quod quis obijciat, cum id asserere non audeat. Sed (ut reuertamur unde digresi sumus) nec enī detrahitur Virginitati, si Paulus perpetuò uir-

go nõ fuiſſet. Nulla fuit tam barbara gens, quę hanc pulcherrimam uirtutem non magnifece
6 rit. Romani enim in ſummo pretio habuere Veſtales uirgines; uniuerſus orbis decem, uel (ut alij uolunt) undecim Sybillas: quod nomẽ (ut rectè admonuit Hieronymus contra Iouinia.) oſtendit uirginitatis excellentiam. Hoc idem nos docent omnium leges, ſed præcipuè Iuſtiniani Imperat. in Auten. de Lenonibus. §. ſancimus. cola. iij. Qui damnans & puniens Lenocinium inquit. Caſtitas ſola Deo cum fiducia poſsibilis eſt hominũ animas pręſentare.

7 Quanti etiam meritò facienda ſit Virginitas nos docuere Eccleſiaſtici ſcriptores, & in primis Cyprianus, cum Tractatu de habitu uirginũ dixit. Nunc nobis ad uirgines ſermo eſt; quarũ quò ſublimior gloria eſt, maior cura: flos eſt eccleſiaſtici germinis, decus & ornamentum gratiæ ſpiritualis, illuſtrior portio gregis Chriſtiani.

Hunc ſubſequitur Athanaſius libro de virgini. cũ uirginem alloquitur his uerbis. Memento cui oporteat te exhiberi: grauis eſt exercitatio: difficilis continentia; ſed nihil dulcius cęleſti ſponſo: hic laboramus pauliſper: illic autem uitam æternã recipiemus. Ait enim ſanctus Paulus. Roma. viij. Non ſunt cõdignę paſsiones huius temporis ad futurã gloriam; quæ reuelabitur in nobis. Bonum eſt effugere turbas, & recede-

re in solitudinem: magna uirtus continentia, magna gloria castitas, magna sunt uirginitatis preconia. ô Virginitas corona immarcescibilis. ô Virginitas templum Dei, & spiritussancti domicilium. ô Virginitas margarita pretiosa apud multos latens; à paucis uerò inuenitur. ô continentia amica Dei, & apud sanctos laudata. ô continentia uulgô inuisa; sed his, qui te digni sunt, nota. ô continentia mortem & inferos effugiens, & immortalitati adhærens. ô continentia gaudium prophetarum, apostolorum gloria. ô continentia angelorum uita, & sanctorum hominũ corona. Beatus qui te tenet; beatus qui per sapientiam tibi cõstanter adhæret.

Quid Ambrosius? nonne libro de Virgini. inquit? Pulchritudinem quis potest maiorẽ existimare decore uirginis? quæ amatur à Rege, probatur à iudice, dedicatur domino, consecratur Deo; semper sponsa, semper innupta; ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor: hæc autem perfecta pulchritudo est, quę sola meretur audire à domino. Tota formosa es.

8 Magnus etiam Basilius libro, quem de Virginitate scripsit, inquit. Hi profectò qui uirginitatẽ seruant, angeli sunt; qui uiuentes in carne corruptibili mortalium uitam illustrãdo tuentur; angeliq; sunt non obscuri aliqui, sed illustres atque nobilissimi. Illi enim nexibus carneis liberi integritatem suam in cęlis seruant & loco

& natura inuiolabiles, & apud ſummũ regem omnium conſtituti. At uerò iſti in terra carnis illecebris & uoluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamẽta perpetua exercitatione uincentes incorruptionem angelicæ puritati parem uirtute præcipua ante creatoris oculos cuſtodierunt.

His ſubſcribit Hieronymus in lib. de Viduitate cum dixit. Supergreditur uirginitas conditionem naturæ humanæ; per quam homines angelis aſsimilantur: maior tamẽ eſt uictoria uirginum, quàm angelorum. Angeli enim ſine carne uiuunt: uirgines uerò cum carne triumphant. Et ſermone de Aſſumptione ait. Profecto in carne preter carnem uiuere non terrena uita eſt, ſed cœleſtis. Vnde in carne angelicam gloriam acquirere maioris eſt meriti, quàm habere. Eſſe enim angelum fœlicitatis eſt; eſſe uerò uirginem, uirtutis: dum obtinere nititur cũ gratia, quod habet angelus ex natura.

Propterea Auguſtinus de Virginitate. Cap. xxiij. xxiiij, & xxv. magna uoce clamat. Chriſtus dicit, ueritas dicit, ſapientia Dei dicit, eos qui pio propoſito ab uxore ducenda ſe continuerint, caſtrare ſeipſos propter regnum cęlorum. His ſpadonibus Deum per Iſaiam pollicitum ſe daturum in domo ſua, & in muro ſuo locũ nominatum meliorem multo quàm filiorum & filiarũ, nomen ſempiternum; quod nõ deficiet,

9 Nec placent qui loco illo Isaiæ interpretantur per eunuchos illos, non cœlibes, sed gentilem populum; qui filios Deo non generabant. Verisimile est enim de ijs uaticinatum Isaiam; de quibus postea locutus est dominus cum dixit Matth.cap.xix. Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorũ. De gentili enim populo, & neophitis prius locutus fuerat, cum de alienigenis mentionem fecit, quos filios aduenæ uocat. Eunuchos autem enumerat uelut diuersos à prioribus. Propterea magis placet interpretatio Hieronymi, Augustini & aliorum, qui locum illum de castis & continentibus interpretantur.

10 Accedit locus Apocal.cap.xiiij. de ijs qui coronã & aureolam promeriti sunt, ex eo quòd cũ mulieribus non sunt coinquinati; qui sequentes agnum cantabant quasi canticũ nouũ ante sedem & ante quattuor animalia & seniores; & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor milia qui empti sunt de terra, de quibus subijcitur. Hi sunt qui cũ mulieribus non sunt coinquinati. Licet sint qui de uirginitate animi omnium beatorum locum istum interpretentur; quam integram fieri uel per baptismum, uel per pœnitentiam dicunt. Sed cum de mulierum cõmixtione dixisset, probabilius uidetur loqui de uera uirginitate; ut ad eam homines incitet; de quibus ob meri-

tum uirginitatis ait. Hi ſequuntur agnũ, ideſt Chriſtum, quocunque ierit.

11 Deinde (ut alia in præſentiarum omittamus teſtimonia) legamus Telenſe Concilium cũ reſcribens Siritio Rom. Pont. dixit. Agreſtis ululatus eſt nullam uirginitati gratiam, nullum caſtitatis ordinem reſeruare: promiſcuè omnia uelle confundere, diuerſorum gradus abrogare meritorum; & paupertatem quandam cœleſtium remunerationũ inducere: quaſi Chriſto una ſit palma, quã tribuit, ac non plurimi abundent tituli præmiorum. Simulant ſe iſti condonare coniugio: ſed quæ poteſt laus eſſe coniugij, ſi nulla uirginitati eſt gloria? Neque uerò nos negamus ſanctificatum eſſe à Chriſto coniugium diuina uoce dicente. Erunt ambo in carne una & in uno ſpiritu. Sed prius eſt quòd nati ſumus, quàm quòd effecti: multoq; præſtantius diuini operis myſterium, quàm humanæ fragilitatis remedium. Iure laudatur bona uxor; ſed melius pia uirgo præfertur, dicente Apoſtolo. Qui matrimonio iungit uirginem bene facit: qui non iungit, melius facit. Hęc enim cogitat quæ Dei ſunt, illa quæ mundi: illa coniugalibus uinculis colligata eſt, hæc uinculorum libera: illa ſub lege, iſta ſub gratia. Bonum eſt coniugium, quo eſt inuenta poſteritas ſucceſsionis humanæ: ſed melior uirginitas; per quã regni cœleſtis hæreditas acquiſita,

& cœlestium præmiorũ reperta successio. Per mulierem cura successit: per uirginẽ salus euenit. Denique speciale donum uirginitatis sibi Christus elegit; & integritatis munus exhibuit; atque in se repręsentauit, quod elegit in matre.

12 Nec præmissis repugnat quod dixit Augustinus lib. de bono coniug. ca. xxij. Non impar est meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham; qui filios generauit. Quoniam illud est, quia Abraham sic erat animo dispositus, ut paratus esset uirginitatem seruare, si illud fuisset tempori congruũ. Nil mirum si Abrahæ coniugalis continentiæ meritum æquatur merito uirginali Io. Baptistæ. Propterea dixit idem Augustin. eodem libro uirginem instruens. Ego non sum melior Abraham: sed melior est castitas cœlibum castitate nuptiarum. Addens rationem. Quod enim nunc ago, melius ille egisset, si tunc agẽdum fuisset. Cui consonat quod dixit Hieronymus. Quomodo Abraham ante placuit in coniugio, sic uirgines placent in castitate: seruiuit ille legi, & tempori suo; seruiamus & nos legi & tempori nostro.

13 Ex his diluitur id, quod à nõnullis obijcitur. Mandatum Dei esse Gene. ca. primo, & ix. Crescite & multiplicamini. Et tempore legis fuisse maledictum, qui semen super terram non re-

linquebat: beatum autem qui haberet semen in Syon, & domesticos in Hierusalem; & maledictam sterilem quæ nō pariebat. De habente autem sobolem dictum Psalmo.cxxvij. Filij tui sicut nouellę oliuarū in circuitu mensę tuę. Detestandam itaque non præferendam coniugio uirginitatem; quę mandato Dei repugnat, & in sacra scriptura maledicitur. Non obstat enim, quoniam quod tempore quodam repugnabat legi: quod maledictis impetebatur, factum est alio tempore laudabile & benedictione dignum; & quod lege fuerat inhibitum, cessante legis ratione permissum. Quapropter si, quo tempore præcepit Deus humani generis & cultus diuini multiplicationem, quis castitatem seruasset, cœlibemq; degisset uitam; fuisset Dei mandato inobediens, nec laude, imo uerò uituperatione dignus. At post humani generis & Deum colentium multiplicationem minime fuit, nec erit legis præuaricator; non uituperatione, sed laude & preconio dignus etiam in statu naturæ integrę aut in lege Moysi; si quis uirginitatem custodierit. ex sententia Diui Thomæ in iiij.sent.dist.xxiij.q.iij.

Quòd autem præceptum illud, Crescite & multiplicamini, non eo modo pertineat ad statum gratiæ; quo pertinebat ad statum naturæ primitus institutæ, confirmatur testimonio Cypriani Tract. ij. de hábitu uirgi. propè finem

cum dixit, Apoſtoli uox eſt, quē dominus uas
electionis uocauit, & quem ad promenda man
data cęleſtia Deus miſit. Primus homo inquit,
de terræ limo: ſecundus de cœlo: qualis ille eſt
de limo, tales & qui de limo: & qualis cœleſtis,
14 tales & cœleſtes. Quo modo portauimus ima
ginem eius, qui de limo eſt; portemus & imagi
nem eius, qui de cœlo eſt. Hanc imaginem uir
ginitas portat, portat integritas, portat ſancti-
tas, portat ueritas.

Quòd ſi dicatur, Legē illam Dei, Creſcite & mul-
tiplicamini, non abrogatam, ſed etiam in ſtatu
gratiæ maximè neceſſariam ad humani gene-
ris conſeruationem: fatebimur nō abrogatam,
ſed poſt multiplicationē non opus eſſe ab om-
15 nibus obſeruari. Quoniam cum quid uniuer-
ſitati mandatur, non ſemper opus eſt ſingulos
uniuerſitatis id agere. Quemadmodum ſi exer
citus Imperator initurus prælium mandauerit
caſtra diligenter cuſtodiri, aut pro cuſtodia ci-
uitatis excubias fieri; non opus eſt ſingulos id
agere: ſed ſatis eſt ſi id ab aliquibus impleatur.
Sic poſt humani generis & Deum colentium
multiplicationem impletur mandatum illud,
Creſcite & multiplicamini, etiam ſi qui a pro-
pagatione filiorum abſtineant.

16 Quòd ſi quis obiecerit, matrimonium unum eſſe
ex ſeptem Eccleſię ſacramentis non uirginita-
tem: proinde matrimonium uirginitati pręfe-

rendum:negabimus id rectè colligi. Quoniam non omnia quibus adsunt ecclesiæ sacramenta digniora sunt, aut præferenda non habentibus illa. Sanctissima enim uirgo mater Dei plena fuit gratia & omnium mortalium dignissima ante aliquod ecclesiæ sacramentũ. Io. Baptista, quo nullus maior inter natos mulierum & apo
17 stolis dignior, citra omne sacramentum. Martyrium uirginitate præstantius, quod tamẽ inter sacramenta non annumeratur.
18 Paruipendendum autẽ quòd aliqui in detractionem uirginitatis adducunt Platonem Dijs sacrificasse; ut perpetuæ eius continentiæ peccatum aboleretur. Quoniam his respondet Augustinus in lib. De uera relig. & sanctus Tho. secunda secundæ quest. clij. ar. ij. Platonem sacrificasse non quòd illud reputaret peccatum, sed cedens peruersę ciuium suorũ opinioni.
19 Nec habenda ratio eius, quod quidã dicunt, præferendas uirginitati nuptias, quòd ex his uirgines nascantur. His enim respõdet August. lib. De uirgini. ca. xij. his uerbis. Nuptę ne illo quidem debent continentium meritis se conferre, quod ex ijs uirgines procreantur. Hoc enim non coniugij bonum est, sed naturæ; quæ sic diuinitus instituta est, ut ex quolibet humano utriusque concubitu siue ordinato & honesto, siue turpi & illicito nulla fęmina nisi uirgo nascatur etiam de stupro: Sacra autem uirgo nec

de coniugio. Et cap.xij.Si harum quæritur ma
ter, Ecclesia est: non parit uirgines sacras, nisi
sacra uirgo,illa quæ desponsata est uni uiro ca-
sta exhiberi Christo.

20 Quòd etsi honorabile sit coniugium,& torus im-
maculatus, & usqueadeo ut castitas dici poßit
cum propria uxore concubitus;si tamen uirgi
nitati comparetur,immundities quædam est,
& res non carens turpitudine. Nec dissonum
est, quædam de se munda esse & laudabilia,
quæ alijs comparata & immunda & detestabi-
lia censeantur, teste Augustino de quęstioni-
bus noui & uete.testa.ca.cxxvij.Proinde quòd
res immunda sit concubitus etiam maritalis,
Moyses daturus legem populo Israel manda-
uit,ne uxoribus appropinquarent.Et Abime-
lech sacerdos noluit dare Dauid & seruis eius
panes propositionis; priusq; interroganti re-
spondissent,pridie & nudius tertius se mundos
à mulieribus.Quod de uxoribus exponit Hie-
ronymus. Qua etiam de causa Pontifices ue-
teris legis,uicis suę tempore manebant in tem-
plo,ut scilicet omnem declinarent occasionem
sese cum uxoribus cōmiscendi. Hinc Aposto-
lus suadet etiam laycis ut propter orationem
21 ad tempus ab uxoribus abstineant. Nil mirum
si Gregorius consilium dedit,ut uir cū propria
uxore dormiens nisi lotus aqua Ecclesiam non
ingrederetur.Subijciens,Romanorum semper

ab antiquioribus morem fuisse post admixtionem propriæ uxoris abstinere ab ingressu Ecclesiæ ante lauacri purificationē. Nec ideo culpari coniugium sed quia ipsa licita admixtio coniugum sine uoluptate fieri non potest. Et habetur in cap. Vir cum propria. xxxiij. q. iiij. Quod tamen interpres canonū dixit, propter reuerentiam sacri loci, & propter corporalem
22 uiri inquinationē. Turpitudinem autem quandam esse etiam cum uxore cōcubitum uel ex eo colligi potest, quòd natura magistra & duce tanquā de re turpi uerecundantur homines & pudore quodam afficiuntur de rebus uenereis, in tantum quòd etiam coniugalis concubitus licet & honestus & licitus uerecundia non careat, & secretum cubile conquirat, ut dixit Augustinus, lib. xiiij. de Ciuitate Dei, ca. xviij. Quòd autem esurientes & sitientes nō pudeat cibum & potum palàm sumere, quemadmodum pudet omnes concubere, ni cynicus sit,
23 aliam posuit Aristoteles causam, quòd cęteræ res naturæ necessariæ sint, uenereus actus nequaquam. Ex quo planè colligitur quòd si nemo posset stimulo carnis resistere, nemoq́; posset abstinere; nullus esset pudor carnalis copulę & concupiscentiæ: & cum adsit, non impossibilem nec naturæ repugnantèm esse abstinentiam. Hactenus de Virginitate.

NON ABROGANDO.

DE ABSTINENTIA IN MATRIMONIO.

Poſt Virginitatis præconia ſecundo loco differen dum propoſuimus de abſtinentia in matrimonio; quam ut Cœlibatui germanam paucis abſoluemus, quòd quæcunque de Cœlibatu di-
24 cenda ſunt, meritò illi ſint tribuenda. Cũ enim coniugalis concubitus immunditie s quædam ſit diſtrahens animum à cœleſtibus ad ea quæ mundi ſunt, Petrus & alij apoſtoli, qui uxorem habuerunt ante uocationem ad apoſtolatum; poſt uocationem à coniugali officio abſtinuerũt. Quod facile deducitur ex eo quod habetur Matth. cap. xix. cũ Petrus ex perſona apoſtolorum dixit ad dominum, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis? Reſpondit ei dominus, Amen dico uobis; quoniam omnis, qui reliquerit domum uel fratres uel ſorores, aut patrem aut matrem aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam ęternam poſsidebit. Quod cõfirmat illud Apoſtoli primę ad Corin. ca. vij. Tempus breue eſt chariſſimi ut qui habent uxores, ſint tanquã non habentes; & qui poſsident, ſint tanquã non poſsidentes. & ij. ad Corinth. cap. vi. cum dixit. In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in caſtitate. His accedit authoritas Epiphanij

libro primo cōtra hęreses; qui testatur apostolos obseruasse ea, quæ Christus consuluit; cum dixit. Mat. xix. Sunt eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cœlorum: qui potest capere, capiat. Subijciens. Qui'nam alij hi eunuchi fuerunt, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, quàm generosi apostoli, & monasticam uitam degentes, & deinceps uirgines? & Hieronymus ad Demetriadem. Quod consuluit, inquit, Christus apostolici fastigij est, perfectæq; uirtutis. De abstinentia in matrimonio satis dictum est.

DE COELIBATVS, NOBILITATE ET VTILITATE.

Cœlibatus autem nobilitatem & utilitatem, quod tertio loco proposuimus, deprehendemus, si animaduertamus rem diuinã & cœlestem esse cœlibatum, & angelis nos similes reddere, ut de uirginitate diximus: tantumq; præstare coniugio, quantum anima corpori, & uita contẽplatiua actiuæ. Ad bonum autem animæ spectare cœlibatum, & ad uitam contemplatiuã conferre testatur Paulus primę ad Corin. cap. vij. cum ait: Qui sine uxore est, solicitus est quæ sunt Dei: mulier innupta & uirgo cogitat quę domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu: quæ autẽ nupta, cogitat quæ sunt mundi, quo modo placeat uiro. Cogitare autem quę domini sunt, & quomodo placeat Deo ad bonũ animæ,

mæ,

mæ,& uitam contemplatiuam pertinet: Cogitare uerò & solicitum esse de ijs,quæ sunt mundi,& quomodo placeat uiro,ad cõmoda corporis & uitam actiuam. Nil mirum ergo, si adiecit Apostolus. Qui matrimonio iungit uirginem suam,benefacit:qui non iungit,melius facit. Qui etsi dixerit, Melius est nubere quàm uri; tamen non tam uidetur permittere cõnubia fidelibus, quàm cœlibatum suadere. Eatenus enim probat connubium,ut tantùmmodo dicat,nõ peccare eum, qui nubat. Cœlibatum autem ita Corinthijs cõmendat, ut suo exemplo omnes cœlibes esse uelit,cum inquit.Bonũ est homini mulierẽ non tangere. Et, Volo uos omnes esse sicut meipsum:dico autem non nuptis,sed uiduis;bonum est illis,si sic permanserint sicut & ego. Et ex post.Mulier alligata est legi,quãto tempore uir eius uiuit: quòd si dormierit uir eius,liberata est: cui autem uult,nubat tantùm in domino: beatior autẽ erit,si sic permanserit secundùm meum cõsilium: puto autem ꝙ & ego spiritum Dei habeam.

Siquis autem obiecerit, Si quod optat Apostolus fieret;si omnes eius admitterent cõsilium, omnesq; cœlibes forent,deperiret humanũ genus breui tempore; nullæ forent uirgines,nulli cœlibes,nulli coniuges qui Deo seruirent.Ad hoc respondebimus cũ seruatore nr̃o, Mat.xix.Nõ omnes capiunt hoc uerbũ, primo Cor. vij. sed.

quibus datum eſt. Et cũ Apoſtolo, Vnuſquiſq; donum ſuum habet à Deo, unus ſic, alius uerò
26 ſic. Nec formidandum omnes futuros cœlibes, omnes Pauli ſuſcepturos conſilium: Quoniam ſi non omnes obediunt Euangelio ut dixit Idẽ Apoſtolus ad Rom. cap. x. quomodo recipient eius conſilium & ſi diuerſitas corporum diuerſitas ſępe ſequitur animorum ut habetur in. c. Quia diuerſitatem de conceſſ. preben. quomodo omnes eundem uitæ inſtitutum ſuſcipient? Aliter tamẽ ſoluit hunc nodum Auguſtinus lib. De bono coniug. cum dixit. Vtinam hoc omnes homines uellent duntaxat in charitate: nã multo citius Dei ciuitas impleretur; & accelararetur ſeculi terminus. Quid enim aliud optat Apoſtolus? Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum. Quod parum placeret niſi fuiſſet ab Auguſtino dictum.
27 Decere autẽ & oportere ſacris initiatos caſtitatẽ cuſtodire ꝓbatur etiam Phyloſophorũ & ethnicorum teſtimonio, & in primis diuini Platonis, cuius ea fuit ſententia, Nihil æquè humanum animũ impedire à diuinitatis intuitu, quàm Venerem & uitam libidinibus deditam. Et ad Dionyſium, Procul (inquit) à moleſtia & uoluptate diuinitas. Et Pythagoras author fuit, Deos ſemper cũ laudibus amictu candido & caſto corpore adeundos. Idẽ Cicero in libro de legibus cũ inquit. Ad Diuos adeunto caſtè:

pietatem adhibento:opes amouento,qui secus faxit, Deus ipse uindex erit. Aulus gellius uerò,Templa inquit,& delubra non uulgò & temere sed cum castitate ceremoniaq; adeunda, & reuerenda. Hierophantas Atheniensium postquã in pontificatum erant assumpti, cicutæ sorbitione castrari solitos author est Hieronymus contra Iouinia. Cheremon Stoicus uir eloquentissimus narrat (ut idem refert Hieronymus) Ægyptios sacerdotes depositis secularibus rebus assiduè degere in templis solitos naturas rerum,causasq; & rationes syderum contemplantes, & nunquã se mulieribus cõmiscentes. Cereris sacra non nisi per matronas castas & uirgines fieri fas erat: de quibus Ouidius. Annua,uenerunt Cerealis tempora sacri, secubat in uacuo casta puella toro. Nouem diebus quibus Isidi sacra facerent, abstinebant prorsus à concubitu.In sacris Bonæ Deæ,quę à uirginibus pro populo fieri mos fuerat,adeo execrabilis Veneris uoluptas erat;ut ea nisi submotis inde uiris ac picturis masculorum & brutorum,fieri non liceret. Vnde satyricus poeta iocatur, Et testibus sibi conscius inde fugit mus. In templo Æsculapij Epidauri erat inscriptũ. Castus sit templi quisquis pia limina adibit:Et castus quisquis religiosa sapit. Et alius poeta. Vos quoque abesse procul iubeo: discedat ab aris cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.Ca-

ſta placent ſuperis,pura cū ueſte uenite,Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Ad cōmendandam Virginitatem & Cœlibatum cōplures & præcipuè Hieronymus coniugij incōmoda & moleſtias connumerarunt. Sed nos (ne in magnum uolumen creſcat opus noſtrum) contenti erimus uno Baſilio, qui libro
28 de uirginitate inquit. Si uirgo mortali connubio coniuncta eſt, ad ſuam ipſius curam uiri quoque altera adiecta geminam in una anima ex coniuncto ſibi corpore ſolicitudinē neceſſariò ſuſtinet:nec iam unius tantùm corporis laborat gratia; ſed in una (ut dixi) anima & ad ſuum & uiri corpus curandum iugiter intenta diuiditur. Vbi uerò filios poſt cubilis ſolennia & ſecreta cōmercia parturire atque in lucem edere cœperit,per unumquenq; naſcentē animo ſcinditur,& præſentibus triſtibus naſcituri cura ſemper adijcitur. At ſi quidem uirum bonum blandumq; nacta fuerit,perpetuo,ne moriatur, metu uiduitatis incōmoda cruciatusq; iam ſuſtinet, diram quandam & immitem & præſente illo & abſente ſolicitudinem propter inſperatos caſus animo indeſinēter excipiens. Sin autem cōtra duro & immiti fuerit iuncta, tota quidem uita illius cruciatus eſt:& cum pudicitiæ ratione neutrū queat eligere, ideſt nec uiri mortem propter uiduitatis anguſtias, nec uitam ob moleſtiam incommodumq; conui-

ctus ancipiti ineuitabili malo, acerrimisq; doloribus semper atteritur. Inde ubi filios edidit, aut ad bonam illi frugem euaserunt, & maiores ex illorum absentia dolores iugiter tolerat, quàm parturiens tulerat: aut malos euasisse cõsiderat, & maius ex ea procreatione liberorũ, quàm si permansisset sterilis opprobrium sustinet. Sæpe antequã prædicta experiatur incõmoda, unà & sponsa & uidua efficitur: ac sine liberis in uiduitatem delapsa nec uxor iam, nec uirgo, nec mater est. Sic profectò omnibus quæ putantur læta coniugij simul amissis, breuissimo uoluptatis sensu irrecuperabilem uirginitatis perdidit florem, coniugijq; tantũ solummodo experta est, quantũ illi satis esset ad dignoscenda uiduitatis incõmoda. Quòd si relicta uidua pupillos enutriat filios; eius, quẽ ex uiri morte perceperat, mœroris iuge illos monimentum cernit: & semper in lachrymis, semper in gemitu, semper in solicitudine educandorũ degens nullum præterito malo solatium inuenit. Præterea & propinquis & famulis & filiorũ curatoribus ipsisq; postremò filijs ubi uirilitatis annos attigerint, cunctisq; omnino se uexare uolentibus ad prædam miserabiliter exposita doloris luctusq; tragediam uitã suam omnium ingeret oculis. Sed qd plura persequi necesse est? dominũ sibi cum dote infelix mulier cœmens uirum, ancilla pro libera efficitur:

breuiſsimæq; uoluptatis gratia naturali libertate ſe priuans ianuam ſibi ineffabilem dolorũ, perpetuique mœroris per huiuſmodi connubium aperit. Manet enim immota maledictionis aduerſus illam prolata ſententia; quæ per omnes nuptias ueluti epithalamium ita canit. In doloribus paries filios: & ad uirum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui. At uerò prudens uirgo iugum huiuſmodi ſeruitutis abijciens, & tota intentione ad dominum currens, unà dolorem quoque qui ex maledictione intentabatur, abrupit: effugit quippe partus anguſtias: effugit mortalis uiri miſerum iugum, ſimulq; incõmoda omnia, quę ex nuptijs prouenire monſtrauimus: effugit item peccatorũ omnigenum inextricabiles nexus, & retia uitę prẹſentis ẻuaſit: effugit ante omnia carnalis cõmertij corruptelam, & integra tota atque illibata anima prout & corpore ſancta æterno regi ſe læta deſpondit: nec iam ad mortalem uirum conuerſionem ſuam fieri patitur; ſed frugi perſeuerans ſe in uitæ conſtantia & honeſtate coram domino ſemper exercet: quippe coniugij finem corruptionem & iniurias eſſe conſiderans ex ipſo fine totam nuptiarum tragediam prudenti ratione colligit; declinanſq; primam triſtium cauſam, manantem quoq; ex ea preſſuram ſimul effugit. Et quæ ſequuntur.

Cum igitur Virginitas, Caſtitas, Cœlibatus (ut

ostendimus,& multis sacrarum literarum testi monijs, multis sanctorum Patrum authoritati bus multis deniq; rationibus cõprobauimus) præstantiores sint coniugio : quippe cũ ea nos similes angelis reddant: & coniugalis concubitus si illis conferatur, immundities quædam sit & turpitudo, quæ à diuinis rebus nos abstrahat : cũ castitas à Saluatore & Apostolo toties cõmendata fuerit, cũ deceat sacerdotes castos esse & mundos iuxta illud Isaiæ cap.lij. Mundi estote, qui fertis uasa domini. Cum cogitare eos deceat quæ domini sunt; cũ sacerdotibus, qui cęteris pręstant propter animarum curam perfectior conueniat status, rectè Ecclesia sacerdotibus indixit cœlibatum.

29 Fatemur tamẽ ad annos ferè cccc. post Christum natum permissum fuisse ad sacerdotium assumi habentes uxorem : quod licuisse etiam tempore apostolorũ designat canon Apostolorum xxxix. qui permittens Episcopis testamentũ condere de rebus quæ proprię fuerint, rationem explicat, quia nonnunq̃ uxores libe ros aut cognatos habẽt. Sed id fuit permissum, quoniam pauci in legis euãgelicę exordio fuissent cœlibes ecclesiastico ministerio idonei ex sententia Hieronymi ad Iouinia. cũ dixit. Eligebantur in sacerdotium mariti, nõ nego, quia nõ erant tanti uirgines, quanti necessarij erant sacerdotes. Nam in exercitu assumuntur infir-

miores, ubi non subest numerus fortium. Alia quoque afferri potest ratio; quoniam nobilissima quæq; in sublunari hoc mundo sic à natura instituta sunt, ut repente non fiant summa, sed sua quædam habeant incrementa. Hoc factum in cognitione, quã habemus de Christo luce clarius est. Non enim à principio Christus se uerè Dei uiui filium dicere uoluit: quod & apostoli obseruauere in concionibus, quas legimus in Actibus apostolorum, Hoc idem euenit in cœlibatu. Licet enim hanc tantam excellentiam optauerint apostoli in ecclesia sancta, cum tamen non esset tutum in tenera adhuc ætate, quæ solidiori cibo uti non poterat, hanc tantam perfectionem requirere; ne'ue sæuiente tyrannorum rabie in Christianos, hac etiam uitæ austeritate deterrerentur homines à suscipienda Christiana fide & sacerdotio, hanc tantam perfectionem iniungere noluerunt: sed pedetentim & secundũ partem instituerunt excludentes bigamiam ab ecclesiasticis ordinibus; & consulentes uirginitatem. Quòd etsi sacerdotum cœlibatus lege adhuc indictus nõ fuisset; uerisimile tamen est priores illos ad fidem conuersos feruore quodã spiritus erectos apostolorum exemplo cõmuni consensu castitatẽ amplexos; eisq; magnæ uoluptati fuisse abstinere etiam à coniugali cõcubitu: remittente se tamẽ in successoribus illo spiritus feruore cũq;

propter uxores & ſuſceptos liberos minus intenti ſolicitiq; eſſent diuinis rebus, ne impurè, negligenter, & minus ſincerè ſacra adminiſtrarentur, reſtituta eccleſiæ pace, principibus chriſtianã fidem amplexantibus decuit, expediens fuit (auſim dicere) & neceſſarium coniugatos â ſacris ordinibus arcere, niſi cõmuni conſenſu caſtitatem pollicerentur: & ſaluberrima lege ſtatuere, ut qui ad ſacros ordines reciperentur, caſtitatem ſeruarent. Cuius decreti cauſæ præter illas, quas diximus, ex ſacrorum conciliorũ & ſanctiſsimorũ patrum decretis, quę deducere propoſuimus facilè percipi poterunt.

30 Primùm igitur id Siritius Pontifex ſtatuit, & habetur in ca. Plurimos. lxxxij. diſt. his uerbis. Plurimos ſacerdotes atque leuitas poſt longa conſecrationis ſuæ tempora tam de coniugibus propriis, quàm etiam de turpi coitu ſobolem didicimus procreaſſe; & crimen ſuum hac pręſcriptione defendere, quia in ueteri teſtamẽto miniſtris facultas generandi legitur attributa. Dicat mihi nunc quiſquis ille eſt ſectator libidinum, præceptorq; uitiorum, ſi exiſtimat quòd in lege Moyſi paſsim ſacris ordinibus à Deo noſtro laxata ſint frena luxuriæ; cur eos, quibus cõmittebantur ſancta ſanctorum præmonet dicens. Sãcti eſtote, quia & ego ſanctus ſum dominus Deus ueſter? Cur etiam procul à ſuis domibus anno uicis ſuæ in templo habi-

tare iusſi ſunt ſacerdotes? hac uidelicet ratione, ne uel cum uxoribus poſſent carnale exercere cōmercium:ut conſcientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent. quibus etiam expleto deſeruitionis ſuæ tempore uxorius uſus ſolius ſucceſsionis cauſa fuerat relaxatus;quia non ex alia niſi ex tribu Leui quiſquā ad Dei miniſterium fuerat præceptus accedere. Vnde & dominus Ieſus cū nos ſuo illuſtraret aduentu in euangelio proteſtatur, quia legem uenerit implere, non ſoluere? Mat. v. Et ideo Eccleſiam ſuam,cuius ſponſus eſt ſpecioſus forma, Pſal.xliiij.Caſtitatis uoluit ſplendore radiare; ut in die iudicij cū rurſus aduenerit, ſine macula & ruga eam poſsit (ſicut per Apoſtolum ſuū inſtituit reperire. Ephe.v.) Quarū ſanctionum ſacerdotes atque leuitæ inſolubili lege cōſtringimur;ut à die ordinationis noſtræ ſobrietati & pudicitiæ & corda noſtra mancipemus & corpora: dummodo per omnia Deo noſtro in his,quę quotidie offerimus,ſacrificijs placeamus. Qui autem in carne ſunt dicente electionis uaſe.Rom.viij.placere Deo non poſſunt. Vos autem iam non eſtis in carne ſed in ſpiritu; ſi tamen Dei ſpiritus habitat in uobis: & ubi poterit,niſi ī corporibus(ſicut legimus) ſanctis Dei ſpiritus habitare? Subſequitur deinde quod habetur in ca.Aliquanti.ea. diſt. Et quia aliquanti (ut tua ſanctitas retulit)ignorā-

tes ſe lapſos eſſe,deflent;ijs hac conditione miſericordiam dicimus non negandam ; ut ſine ullo honoris augmēto in hoc,quo detecti ſunt, quandiu uixerint,officio perſeuerent: ſi tamē poſt hac continentes ſe ſtuduerint exhibere. Hi uerò qui illiciti priuilegij excuſatione nituntur,& ſibi aſſerunt ueteri hoc lege conceſſum;nouerint ſe ab omni eccleſiaſtico honore, quo indignè uſi ſunt,Apoſtolicæ ſedis authoritate deiectos: nec unquam poſſe ueneranda attrectare myſteria;quibus ſe ipſi dum obſcœnis cupiditatibus inhiant,priuauerunt.Et quia præſentia exempla cauere nos præmonent in futurum. Si quilibet Epiſcopus presbyter,atq; diaconus(quod non optamus) deinceps fuerit talis inuentus,iam nunc ſibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obſeratum.Quia ferro neceſſe eſt excidantur uulnera;quę fomētorum non ſenſerint medicinā. Hæc Siritius.

31 Siquis autem dubitauerit,ſi tunc primū Siritius legem tulit de Cœlibatu ſacerdotum, quonā modo reprehendit & punit eos,qui ex proprijs uxoribus filios ſuſceperant,faciens etiam differentiam inter eos qui ſcienter, & eos qui ignoranter præuaricati ſint: ut hi ad altiora nō conſcendant,illi uerò deponendi ſint. Reſpondebimus cū antiquitas (ut uerbis utamur ſextę Synodi) id obſeruauerit,præuaricatores laudabilis cōſuetudinis iure decerni plectendos,eoq;

caſu nouã legem præterita reſpicere etſi aliàs non niſi futura proſpiciat: Quidam tamen nõ paruę authoritatis aſſerunt aliam Siritij conſtitutionem præceſsiſſe, & eam eſſe, quę habetur in c. Quicũq;.lxxvij.diſt.qua decernitur. Quicunq; igitur ſe uouerit obſequijs eccleſiæ à ſua infantia ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet miniſterio ſociari, qui ab acceſſu adoleſcentiæ uſq; ad uigeſimũ ſuę ætatis annũ, ſi probabiliter uixerit, una tantùm & ea quam uirginem benedictione cõmuni per ſacerdotẽ percepit, uxore contentus accolitus & ſubdiaconus eſſe debebit; poſtq; ad diaconij (ſi ſeipſum primitus continentia præeunte dignum probauerit) gradum accedat. Qui tamen nouiſsimè Coloniæ concilia in unum congeſſerunt; illam poſuere partem prioris decreti; poſueruntq; pro nouo capitulo inter decreta Siritij. At alij opinati ſunt Siritium de his ſenſiſſe, qui cõmuni cõſenſu cum uxoribus caſtitatem ſpoponderant: ſecundùm quam interpretationem non ſatis conſtaret ex illa decretali Siritium primùm legem cœlibatus tuliſſe; quod tamen omnes Siritio tribuunt. Propterea magis probanda prior interpretatio. Siritij conſtitutionem magno cõſenſu receperunt qui ſucceſſere Rom. Pontifices, & quæ ſecuta ſunt cõcilia & præcipuè Telenſe ea epiſtola, quã citauimus; cũ uirginitatis pręconia recenſuimus.

Deinde ſecundum Carthagineñ. concilium, & habetur in c. Epiſcopos. xxxi. di. & in c. Cum in præterito. lxxxiiij. di. his uerbis. Cum in præterito concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres conſcriptione quadam caſtitatis per cõſecrationes annexi ſunt, Epiſcopos inquam, presbyteros, & diaconos ita placuit, ut condecet ſacroſanctos Antiſtites & Dei ſacerdotes & leuitas, uel qui ſacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus; quo poſsint ſimpliciter quod à Deo poſtulant, impetrare: ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoq; cuſtodiamus. Ab uniuerſis Epiſcopis dictum eſt, Omnibus placet, ut epiſcopi, presbyteri, & diaconi qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab uxoribus ſe abſtineant. Ab omnibus dictum eſt. Placet ut in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altario ſeruiunt.

Aduertat tamẽ diligens lector, cum ibi dicitur, In præterito concilio mandatã continentiam eſſe Epiſcopis, presbyteris, & diaconibus; ne intelligat de primo Carthagineñ. cõcilio, prout perperam interpretatus eſt Gloſſator canonum. Quoniam non id primum Carthagineñ. concilium decreuit: & ſi decreuiſſet, falsò tribueretur Siritio, ꝙ author decreti illius fuiſſet, cum primum Carthagineñ. cõcilium habitum fue-

rit ſub Syluestro Pont. De quo autem concilio ſit intelligendum, ambigimus. Suſpicamur autem ſenſiſſe de Telenſe: cui interfuere Aphricani epiſcopi & ſi fuerit in Hiſpanijs habitum. Quod ueriſimile eſt ſub Siritio Pont. habitum nõ autem Zozimo; qui poſt Siritium Anaſtaſio & Innocẽtio intermedijs fuit Põtifex. Nec enim potuiſſet Teleñ. concilium Siritio reſcripſiſſe, ſi fuiſſet habitum eo uita functo. Quòd ſi de alio Carthagineñ. cõcilio intelligere uoluerimus, fateri neceſſe eſt aliud fuiſſe concilium inter primum & ſecundum, quod inter concilia Carthagineñ. non numeretur: quod etiam non negat conciliorum aggregator, cũ de pluribus Carthagineñ. concilijs meminerit: quæ numerum non ſunt aſſecuta. Et forte euenit quod cõcilio ſub Martino primo habito, quod ſextum non inſcribitur, ſed inter quintum & ſextum.

Innocentius primus. & habetur in c. Tenere debet. xxxi. di. reſcribit Rothomageñ. Epiſcopo, Siritij decreto ſe ſubſcribens his uerbis. Prætcrea quod dignum, & pudicũ, & honeſtum eſt, tenere Eccleſia omnino debet, ut ſacerdotes & leuitæ cũ uxoribus ſuis non miſceantur: Quia miniſterij quotidiani neceſsitatibus occupantur. Scriptum eſt enim. Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum dominus Deus ueſter. Nã ſi priſcis temporibus de templo Dei ſacerdotes

anno uicis suæ non discedebant, sicut de Zacha
ria legimus, nec domum suam omnino tange-
bant; quibus utique propter sobolis successio-
nem uxoris usus fuerat relaxatus: quia ex alia
tribu præterq̃; ex semine Aaron ad sacerdotiũ
nullus accedere permittebatur: quanto magis
hi sacerdotes uel leuitæ pudicitiam ex die ordi
nationis suę seruare debent; quibus uel sacerdo
tium uel ministerium sine successione est: nec
pręterit dies qua uel à sacrificijs diuinis, uel à ba
ptismatis officio uacent? Nam si beatus aposto
lus Paulus ad Corinth. scripsit, Abstinete uos
ad tempus, ut uacetis orationi: & hoc utique
laicis præcepit: multo magis sacerdotes quibus
& orandi & sacrificandi iuge officium est, sem
per debebunt ab omni huiusmodi cõsortio ab-
stinere. Quod & alia epistola ad Exuperium
Episcopum Tolosañ. confirmauit. & habetur
in c. Proposuisti lxxxij. dist. cum dixit, Propo
suisti quid de his obseruari debeat, quos in dia-
conij ministerio, aut in officio presbyterij posi-
tos incõtinẽtes esse aut fuisse generati filij pro-
33 diderunt. De his autem manifesta est diuinarũ
legum disciplina, & beatæ recordationis Siritij
Episcopi monita euidentia cõmearunt; ut in-
continentes in officijs positi talibus omni hono
re ecclesiastico priuarentur; nec admittantur
ad tale ministerium, quod sola continẽtia opor
tet impleri. Est enim uetus admodũ sacrę legis

authoritas iam inde ab initio custodita, quòd in tẽplo anno uicis suæ habitare præcepti sunt sacerdotes, seruientes sacris oblationibus puros & ab omni labe purgatos sibi uẽdicent diuina ministeria: neq; eos ad sacra fas sit admitti, qui exercent etiam cũ uxore carnale cõmercium: quia scriptũ est. Sancti estote, quia & ego sanctus sum dominus Deus uester. Quibus utiq;
34 propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus: quia ex aliena tribu ad sacerdotium nullus fuerat ausus, accedere: quo magis ipsi sacerdotes uel leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent; quibus & sacerdotium uel ministerium sine successione est: nec prẹterit dies, qua uel à sacrificijs diuinis uel baptismatis officio uacent. Nam si Paulus ad Cor. scribens dicit. Abstinete uos ad tempus ut expeditius uacetis orationi. & hoc utique laicis prẹcepit: multo magis igitur sacerdotes quibus & sacrificandi & orandi iuge officium est semper debebunt ab omni huiusmodi consortio abstinere.

35 Concilio Carthaginẽ. v. ca. iiȷ. de quo in c. Cum de quorundam. dist. lxxxiiij. habetur. Cum de quorundam clericorum quanuis erga proprias uxores incontinentia referretur, placuit Episcopos, presbyteros & diaconos secundùm priora statuta etiam ab uxoribus continere, quod nisi fecerint, ab ecclesiastico mouean-

tur

tur officio. Idē decernitur in c. Placuit Episcopos. xxxij. di. quæ fuit constitutio Aphricañ. cócilij sub Bonifacio primo Pont. cap. xxxiiij.

Primi Toletañ. concilij cap. primo habetur. Placuit, ut diacones si uel integri uel casti sint & continentis uitæ etiam si uxorem habeant in ministerio cōstituantur; ita tamen ut siqui ante interdictum, quod per priores ante nos Episcopos cōstitutum est, incontinenter cum uxoribus uixerint, presbyterij honore non cumulentur.

His concordat Agatheñ. concilium sub Celestino Pont. habitum ca. ix. his uerbis. Placuit etiam ut si presbyteri, uel diaconi coniugati ad torū uxorum suarum redire uoluerint, Papæ Innocentij ordinatio, uel Siritij episcopi authoritas, quæ est his canonibus inserta, seruetur. Quod si ad aliquos formula illa ecclesiasticę uitæ pariter & disciplinæ, quæ à Siritio episcopo ad prouincias cōmeauit, non probabitur peruenisse; eis ignorationis uenia remittitur: ita ut de cætero penitus incipiant abstinere: & ita gradus suos, in quibus inuenti fuerint, retineant, ut ad potiora eis non liceat ascendere: quibus in beneficio esse debet, quod locum ipsum, quem retinent, non amittant. Siqui autem scisse formam uiuendi missam à Siritio episcopo detegūtur, neque statim cupiditates libidinis abiecisse; illi sunt modis omnibus submouēdi, eo quòd post

admonitionem cognitam præponendam arbitrati sunt uoluptatem.

Arausieñ.concilium sub Leone primo Pont. statuit,ut deinceps coniugati nisi prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem, diacones nō ordinarentur.Deinde cap.xxij,& xxiij. subijcitur.Siquis autem post acceptam benedictionem Leuiticam cū uxore sua incontinens inuenitur, ab officio abijciatur.

Arelateñ. Tertium ijsdem ferè temporibus etiam statuit,ut deinceps coniugati,Diaconi nō ordinentur, nisi prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem. Et habetur in c.Præterea.xxviij. dist. Epistola xc. Leonis Primi ad Rusticum Narboneñ.Episcopum cap.iij.registrata in c.Lex continentię.xxxi.dist.habetur. Lex continentiæ eadē est ministris altaris,quæ Episcopis,& presbyteris; qui cū essent laici siue lectores licitè & uxores ducere & filios procreare potuerunt.Sed cum ad prędictos peruenerint gradus,cœpit eis non licere,quod licuit. Vnde(ut de carnali fiat spirituale coniugium) oportet eos nec dimittere uxores,& quasi non habeant sic habere:quo & salua sit charitas cōnubiorum,& cessent opera nuptiarum.

36 Nemo tamen existimet quæ citauimus concilia id statuisse quod suadente Paphnutio destitit decernere Nicena Synodus. Quoniam lōgè diuersum est cogere coniugatos, qui post

coniugium ad ſacros ordines aſſumpti fuerãt, quôd dimiſsis uxoribus continentes ſint: & decernere habentes uxorem de cætero non aſſumendos ad ſacerdotium, niſi cõmuni coniugũ uoto continentiam pollicerentur. Primũ enim ſtatui non debuit, nec ſtatuere uoluit Nicena Synodus; ſicut nec in præſens poſſet Eccleſia arcere accolitos aut lectores à coniugio; nec eos qui licitè uxores habent, cogere, ut dimittant: quia hoc eſſet ad continentiam cogere: cum tamen teſte Ambroſio, lib. primo de Virgini. integritas ſuadenda ſit, non imperanda. & habetur in c. Integritas. xxxij. q. j. Propterea dixit Gregorius ſcribens Petro ſubdiacono Siciliæ & habetur in c. Ante trienniũ. xxxi. diſt. Ante triennium omnium eccleſiarũ ſubdiaconi Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Rom. Eccleſiæ ſuis uxoribus nullatenus miſceantur. Quod mihi durum atq; incompetens uidetur; ut qui uſum continentiæ non inuenit, neque caſtitatem promiſit, compellatur à ſua uxore ſeparari. Secundum autem ſtatui potuit; nec propte-
37 rea hoc decreto quiſquam inuitus arcetur à coniugio: quoniam ſicut unicuiq; liberum eſt uelle ad ſacros ordines cõſcendere; ita liberum eſt uelle continentiam polliceri, licet unum ab alio ſeiungi nõ poſsit. Nemo enim poteſt uelle ad ſacros ordines aſſumi, & nolle cõtinentiam polliceri. Et id eſt quod Dialectici uocant ne-

cessitatẽ consequentiæ non consequentis. Quẽadmodum cum dicimus, necesse est ut qui currit, moueatur. Cũ tamen contingens sit utrũq; & currere & moueri, & cursus sine motu esse non possit. Quòd si Ecclesia etiam ab accolitis castitatem exigere uellet, id quidem posset, sed ea lex eos qui accoliti forent non alligaret, sed in posterum assumendos.

38 Quanuis autem habentes uxorem in sacerdotes aut diacones assumerentur, nunq̃ tamen iam promoti coniugio copulabantur id prohibente canone xxvij. Apostolorum his uerbis. In nuptijs autem qui ad clerum proue̗cti sunt, præcipimus, ut si uoluerint uxores accipiãt, sed lectores cantoresq; tantummodo. Ea forsan ratione, quòd id foret à perfectiori statu ad imperfectiorẽ regredi, positaq; manu ad aratrum retrospicere. Quod cõstitutum cum à plerisq; uiolaretur, à nõnullis Rom. Pontificibus & sacris concilijs etiam pęna adiecta fuit innouatũ, & in primis à Neocesarieñ. concilio sub Syluestro Pont. canone primo cum statuit, quòd presbyter si uxorem duxerit, ab ordine suo deponi debeat: si fornicatus fuerit, & adulterium cõmiserit extra ecclesiam abijciatur, & ad pœnitentiam inter laicos redigatur. Et habetur in c. Presbyter xxviij. dist.

39 Canone viij. concilij Romani sub Syluestro Pont. habetur. Nullum autem subdiaconorum

ad nuptias transire precipimus. Et canone xix. Nemo presbyter à die oneris presbyterij sumat coniugium.

Canone vij. octaui cōcilij Toletañ. statuitur, quòd quicunque ad Ecclesiasticarum officia dignitatum assumuntur, si ad coniugia moresq; seculi redire attentauerint, omni ecclesiastica dignitate priuentur, & apostatæ habeantur; & in monasterio donec uixerint sub pœnitentia retrudantur.

Extat & Calixti decretum, de quo in c. Presbyteris xxvij. dist. Presbyteris, diaconibus, & subdiaconibus & monachis cōcubinas habere seu matrimonia contrahere penitus interdicimus: cōtracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi: & personas ad pœnitentiam redigi debere iuxta sacrorum canonum definitionem iudicamus.

Cui subscripsit Inno. ij. & habetur in c. Decernimus. xxviij. dist. cum dixit. Decernimus, ut hi qui in ordine subdiaconatus & supra uxores duxerint, aut cōcubinas habuerint officio, atq; ecclesiastico beneficio careant.

Statuit etiam Toletañ. concilium quintum. & habetur in c. Quando. ea. dist. quòd quando presbyteri & diaconi per parochias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere, ut caste & purè uiuant sub timore Dei; & dū eos talis professio obligat, uitæ sanctæ discipli-

nam retineant. Item Nicolaus Papa Odoni Viennen̄. archiepiſcopo reſcripſit. & habetur in c. De illo.xxxii.diſt. De illo clerico Aluico nomine, quem per ordines eccleſiaſticos uſque ad ſubdiaconatū caſtum uixiſſe dicitis, cur ueſtra authoritate uxorem duxerit, miramur: eo quòd nulli unquam exceptis illis quibus eccleſiaſtica regula habere permittit, uxorē habendi licentiam damus.

Extat & aliud Leonis decretum, quod habetur in c, omnium.xxxii.diſt. quo decernitur. Omniū ſacerdotū tam excellens eſt electio, ut hæc quę in aliȷs membris eccleſiæ uacant à culpa, in illa tamen habeantur illicita. Cum enim extra clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati & procreationi filiorum ſtudere ſit liberū, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem nec ſubdiaconibus carnale connubium quidem permittitur: ut etiam qui habēt ſint tanq̄ non habentes, & qui nō habent, permaneant ſingulares & innupti. Et ſi hoc in hoc ordine, qui quartus eſt à capite, dignum eſt cuſtodiri; quanto magis in primo, uel in ſecundo, uel in tertio ſeruandum eſt?

Item ſexta Synodus canone.vi. & habetur in c. Si quis.xxxiȷ.diſt. ſtatuit, quòd ſiquis eorum qui in clerum accedunt, uelit lege matrimoniȷ mulieri coniungi, anteq̄ hypodiaconus, uel diaconus, uel presbyter ordinetur, hoc faciat.

Melden̄.uerò cõcilij hoc fuit decretum. Nemo ad ſacrum ordinẽ permittatur accedere, niſi aut uirgo, aut probatæ caſtitatis, & qui uſque ad ſubdiaconatum unicam & uirginẽ habuerit. Et habetur in c. Nemo.xxxij.diſt.

Extat decretum Inno.ij.quo dicitur. Vt lex continentiæ,& Deo placens munditia in eccleſiaſticis perſonis & ſacris ordinibus dilatetur; præcipimus quatenus presbyteri,diaconi, ſubdiaconi,regulares canonici,monachi,atque conuerſi profeſsi,qui ſacrum tranſgredientes propoſitũ uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Huiuſmodi nanq; copulationem,quã contra eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contra ẽtam, matrimonium non eſſe cenſemus: qui etiam ab inuicem ſeparati pro tãtis exceſsibus condignam pœnitentiam agant.Et habetur in c. Vt lex.xxvij.q.i.

Inno.etiam iij.reſcribens Noruicen̄.Epiſcopo inquit.Cum uir cogitet quomodo placere poſsit uxori;& ideo minus quæ Dei ſunt,ualeat cogitare; cum quaſi diuiſus in duo plenam ſui non habeat poteſtatem, ut ei à quo ſtipendium recipit,plenius famuletur; mandamus quatenus huiuſmodi clericos beneficijs eccleſiaſticis,quę in tua dioceſi ſunt adepti, priues appellatione remota: præſertim cum rerum eccleſiaſticarũ ſubſtantia per tales ſoleat deperire. Et habetur in c.Diuerſis fallacijs. de cleri.coniug.

40 Capite viij.Secundi Aurelianeñ.cõcilij ſtatuitur, quòd ſiquis diaconus in captiuitatẽ redactus uxori fuerit copulatus,reuerſus ab officij miniſterio omnino remouendus eſt;cui ſufficere debet pro actus ſui leuitate impleta pęnitentia pro ſatisfactione cõmunio.

Cap.uerò vij.Tertij Aurelianeñ.concilij decretũ fuit,quod clerici qui uxores non habuerint, benedictione ſuſcepta coniugia crediderint eligẽda,qui uolentes abſq; ulla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati;cum ipſis mulieribus quas acceperunt,excõmunicatione pręcellantur. Quòd ſi inuitus uel reclamans fuerit ordinatus,ab officio quidem deponatur,ſed nõ à cõmunione pellatur.

41 De Monachis canone xvi.Secũdi Turoneñ. concilij ſtatuitur,quòd ſiqui in monaſterio cõuerſi ſunt, aut conuerti uoluerint, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi;nec(quod abſit) ullus eorum uxorem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere: & ſi uxorem duxerit,excõmunicetur,& de uxoris malè ſociatæ conſortio etiam iudicis auxilio ſeparetur.

Canone.lj. Quarti Toletañ. concilij legitur,Nonnulli monachorum egredientes de monaſterio non ſolùm ad ſeculum reuertuntur, ſed etiam uxores accipiunt.Igitur reuocati in eodẽ monaſterio,à quo exierant,pœnitentię deputentur;

ibiq; defleant sua crimina, unde discesserunt.

Legatur decretum Inno.iij.quod habetur in c.Cũ ad monasteriũ. De statu regu.in quo habetur. Abdicatio proprietatis, & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex posit licentiam indulgere.

42 De sacratis Virginibus Canone xxxiij. primi Arelateñ. concilij habetur. De puellis, quæ se uouerunt Deo, & præclari nominis decore floruerunt, si post xxv.annos ętatis ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendũ esse decreuimus; ut cum ijs, cũ quibus se obligauerint, cõmunione priuentur: ita ut eis postulantibus pœnitentia non negetur, cuius pœnitentię cõmunio multo tempore differatur. Quod decretum innouatum fuit in Valentiñ. concilio sub Damaso primo Pont.

Concilij Carthagineñ.quarti, cap.ciiij.statuitur. Sicut bonum est castitatis præmium; ita maiori obseruantia & pręceptione custodiendum est: ut si quæ uiduæ quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & matura ætate à uiro relictæ se deuouerunt Deo, & ueste laicali abiecta sub testimonio Episcopi & ecclesiæ religioso habitu apparuerint; postea autem ad nuptias seculares transierint, secundũ apostolum damnationem habebunt. Quoniam fidem castitatis, quã domino uouerunt, irritam facere ausæ

ſunt. Tales ergo perſonæ ſine chriſtianorum cõmunione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum Chriſtianis cõmunicent. Et habetur in c. ſicut bonum. xxvij. q. j.

Inno. primus epiſtola ij. ca. xv. inquit, Quæ Chriſto ſpiritualiter nubunt, & à ſacerdote uelantur; ſi poſtea uel nupſerint publicè, uel occultè corruptæ fuerint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is cui ſe coniunxerant, de hac uita diſceſſerit. Si enim de hominibus hæc ratio cuſtodiatur, ut quæcunq; uiuente uiro alteri nupſerit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia conceditur, niſi unus ex eis defunctus fuerit; quanto magis de illa tenendum eſt, quæ ante immortali ſe ſponſo coniunxerat; & poſtea ad humanas nuptias tranſire elegit? Et habetur in c. Quę Chriſto xxvij. q. j.

Quod tamen dicitur, nõ admitti ad pœnitentiam: non ita intelligendum eſt, ut aliquo tempore excludantur à pœnitentia, quæ dignè pęnitentiam agere uoluerint: ſed prohibentur admitti ad pœnitentiam, quę ab inceſti copula diſcedere noluerint, ex ſententia Theodori. Et habetur in c. Siquis uotum, xxvij. q. j.

Canone xv. Chalcedonen̄. cõcilij, & habetur in c. ſiqua uirgo. xxvij. q. j. ſtatuitur, Virginem quę ſe domino Deo conſecrauit, ſimiliter & monachum non licere nuptialia iura contrahere;

quòd si hoc fuerint inuenti perpetrantes, excommunicentur.

Symachus non multo posterior, ut qui post Leonem primũ sub quo habita est Chalcedonẽ. synodus annis minus xl. fuit Pont. statuit, neq; uiduas ad nuptias transire patimur; quæ in religioso proposito diuturna obseruatione permanserunt. Similiter & uirgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasterijs ætatem peregisse contigerit. prout habetur in c. Neq; uiduas xxvij. q. i. quod tamen Gratianus ascribit Gelasio.

Idem statuit primum Parisiẽ. concilium canone iiij. his uerbis. statuitur, ꝙ sacrarum uirginum neque per raptum, neque per competitiones aliquas quisquam coniugia sortiatur: similiter de earum coniunctionibus abstinendum: & ij, qui eas rapere, aut competere uoluerint, à cõmunione sunt remouendi.

Canone xij. primi Matisconẽ. concilij innouatur decretum primi Arelatẽ. & Valentiñ. conciliorum ijsdem ferè uerbis.

Concilij Tiburiẽ. huiusmodi extat decretum. Si quis sacro uelamine cõsecratam in coniugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incęsta fœdera sacrilegaq; miscuerit (ut in constitutis Gelasij Papę cap. xx. legitur) protinus æquum est à sacra cõmunione detrudi; & nisi per publicam probatamq; pęnitentiam omni-

no non recipi: ſi tamen pœnituerint, tranſeuntibus de ſeculo uiaticum non negetur. habetur etiam in c. Si quis xxvii. q. i.

Collegimus tot ſanctiſsimorum Pontificum, & ſacratiſsimorum cõciliorum de Cœlibatu decreta, quorum ſi ſpectes Candide Lector locorum interſtitia, ſi temporum interualla, quibus ſancita fuere, cognoſces omnium ferè gẽtium nec unius ſed plurium ſeculorum more receptum & cõprobatum decere, expedire oportere eos qui ſacra miniſtrant, qui diuino obſequio ſe mancipant, caſtos & puros eſſe, & omnis concubitus immunditia carere; totoq; (ut aiunt) aberrare cœlo qui noſtra ætate audent improbare ſacerdotum cœlibatum, cũ obſtinate contendunt Cœlibatus legem cũ iure diuino naturaliq; pugnare, ab ipſis diſſentire conciliorum canonibus, ſuperſtitioſam & periculoſam eſſe, infinita parere ſcãdala peccata & corruptelam publicorum morum: quo dogmate impio cũ innumerabiles mortales plus carni, quàm ſpiritui deditos in pernicioſum errorem & baratrũ pertraxerint, operæpretium eſſe exiſtimauimus illorum fundamenta eruere, quibus conati ſunt impium ſuum dogma ſtabilire.

OBIECTORVM DISSOLVTIO.

Primùm inquiunt, Geneſis docet homines conditos eſſe, ut ſint fecundi, ut ſexus recta ratione ſexum appetat: cũ igitur ſit coniugium opus

Dei;nec ordinatio Dei,nec Dei opus tolli poſſit ſine ſingulari opere Dei,colligunt nec uotis id,neque ſtatutis tolli poſſe.

Secundo loco ita argumentantur, Cum hæc creatio ſeu ordinatio in homine ſit ius naturale, & ſapienter iurecōſulti dixerint, coniunctionem maris & fęminæ eſſe iuris naturalis,naturaleq; ius immutabile ſit,conſequens uidetur ſemper manere ius cōtrahendi matrimonium:improbantes quod dicitur ab initio præceptum coniugium,nunc non eſſe præceptum,cū & nunc ſicut olim homines ſecum afferant ſexū. Hinc rethoricè exaggerantes exclamant.Sicut legibus humanis non poteſt natura terræ mutari, ne ſit fęcunda,ne germinet herbam uirentem: ſicut aqua nec ui,nec arte cogi poteſt,ut perpetuò contra ſuum naturalem motum aſcendat: ſicut creata eſt hominis natura, ut non poſsit quis carere cibo & potu,aut aliis neceſſariis;ita & creata eſt,ut non poſsit non æſtuare,non flagrare deſiderio ſeſe propagādi,nec mutari poteſt hominis natura ne ſit fęcunda,ne ſexus ſexum appetat. Sicut nulli præcepit Deus ut eſſet maſculus aut fœmina,ſed ſic creauit,ſic finxit & condidit, ut eſſet ex natura maſculus & fęmina;ſic non præcepit ut creſcerent,& multiplicarentur; ſed hoc naturæ & gemino huic ſexui inſeuit & indidit, ut in ſeſe mutuò exardeſcant, & natiua ui atque impetu ad creſcen-

dum & propagandum se ferantur. Hunc igitur impetum has flammas sic ipsi naturæ insitas & sexui cognatas esse, ut nullis humanis aut ullius creaturæ uiribus cohercere aut reprimere ualeas, nisi Deus quem peculiari uocatione, aut dono sublimiore eximat.

43 His duabus rationibus, quæ inuicē cōnexæ sunt, respondebimus, quòd etsi homines conditi sunt, ut fęcūdi sint, ac natura ipsa duce sexus sexum appetat, ac etiam iuris naturalis sit maris & fœminæ coniunctio; non tamen naturæ hic instinctus in homine est, qualis est in brutis; quę ex eo quòd à natura ducuntur, uniformiter agunt: idq; fieri oportet quod ius naturę præcipit; quo uidemus animalia ratione carentia, quorum fœtus non indigent paterno auxilio, indifferenter quancunque sui generis fęminam inire, & in suo quæq; genere uniformiter agere: terræ est germinare herbam uirentem; grauiū, descendere; leuium sursum ferri: aquā uidemus fluere, ignem adurere, & idem de cęteris: & hęc quidem ex necessitate. Non sic homines, nō sic; qui sponte agunt; qui libero utuntur arbitrio; qui uolentes operantur etiam na-
44 turæ opera, nolentes abstinent: quibus etsi quēadmodum cęteris animantibus à natura tributum sit, ut sint fęcundi, ut sexus sexum appetat; tamen eisdem utpote animantibus ratione utentibus tributum est ab eadem natura, ut

ſponte non neceſſario eligant quid faciendum ſit,& à quibus abſtinendum:cum in eorum electione non concurrant ſolùm uniuerſalia principia,quæ à natura ſunt inſerta;ſed ratio etiam conſiderans particularia. Et quoniam hæc pro temporum,pro rerum & perſonarum qualitate,quin etiam quandoque per errorem, qui fit in particularibus nõ eadem ſunt apud omnes, nil mirum ſi non ſit unus uiuendi modus in omnibus; quod non minus in homine naturale eſt,quàm concupiſcentia, fęcunditas & ſimilia. Propterea homo diuinitatis particeps nec brutis, nec plantis ac multo minus elementis eſt comparandus.

Ad id uerò quod dicitur, Ius naturale immutabile eſt:maris & fęminæ coniunctio naturalis iuris exiſtit.igitur nec legibus humanis,nec uoto tolli poteſt. Reſpondemus ius naturale immutabile dici,quòd in totum tolli aut mutari non poſsit,quemadmodum nec ius diuinum;quòd idem ſit apud omnes gentes aut omnes nationes,nec uno quidẽ ſęculo,ſed ab origine mundi perpetua ſucceſsione uſque ad finem ſęculi permãſurum. Non huiuſmodi ius ciuile,quod non omnibus gentibus eſt cõmune,nec perpetuò manens,quodq; ſępius pro rerum, pro tẽ-
45 porũ ratione abrogatur & antiquatur. Ea uerò quæ iuris naturalis ſunt licet in totum tolli non poſsint,immutari tamen,quod ad aliquos

pertinet,poſſunt,Exempla habemus de libertate à natura hominibus data:de cõmuni rerũ poſſeſsione: de acquiſitione eorum, quæ terra mariq; capiuntur.Hęc enim inter ea quę de iure naturę ſunt, à iurecõſultis numerantur: quę iure gentium aliqua ex parte ſunt immutata. Iure enim gentium introductę ſeruitutes: iure gentium rerũ proprietates; quo dicimus. hoc meum,illud uerò tuum. Iuris naturalis eſt rei depoſitę,aut cõmendatę pecunię reſtitutio: & tamen ſi gladium qui apud te depoſuerit ſanę mentis,repetat inſaniens, nõ reddere officium erit,reddere peccatum. Et ſi is qui apud te pecuniam depoſuerit,bellum inferat patrię,licebit non reddere.Nec mirum ſi ius naturale mutationem admittat: quandoquidem nec ius diuinum prorſus ſit immutabile.Exempla habemus de uotis,de iuramentis,de feſti diei obſeruatione,& de alijs plęriſq; etiam decalogi pręceptis; quę aliquando nos tranſgredi humana lege permiſſum eſt,& mutationem recipiunt. Quapropter licet ius diuinum & ius naturale immutabilia cenſeantur, quia in uniuerſum tolli non poſſunt;nil tamen prohibet,quin aliquibus & aliqua particulari ratione liceat ab eis recedere. Nec tamen negamus,quod ſicut taliter creata eſt hominis natura,ut non poſsit carere cibo & potu,aut alijs neceſſarijs;ita creata ſit, ut non poſsit non ęſtuare, non flagrare de-

ſiderio

ſiderio ſeſe propagandi. nec mutari poſsit hominis natura, ne fecunda ſit, ne ſexus ſexum appetat. Cum hæc nec ſacri baptiſmatis regeneratio, nec merita paſsionis domini noſtri Ie-
46 ſu Chriſti, quibus ipſa innititur regeneratio, ſuſtulerint. Sed his non repugnat, quin arbitrij noſtri ſit (adiuuante diuina gratia) huiuſmodi nobis à natura inditæ concupiſcentiæ nõ aſſentire, huic naturali reſiſtere deſiderio. Libido enim, ira, cupiditas, lætitia, triſtitia & id genus alia etſi ſint animi paſsiones nobis à natura datæ; non tamen ita inſitæ homini, ut eis reſiſti nõ poſsit; nec ita homini ſunt naturales, quod etiam non ſint eidem uoluntariæ. Ariſtoteles enim inquit. Ira & libido homini maximè na-
47 turales ſunt, ſed ira magis, quàm libido. Et propterea magis dedecet hominem nõ poſſe ſeſe à libidine, quàm ab ira temperare: multoq́; turpior eſt incontinentia circa libidinem, quàm circa iram. Ex quibus conſequitur non minus quem poſſe abſtinere ab actibus uenereis & libidine, quàm qui ſuapte natura iracundus eſt poteſt (ſi uelit) ab ira ſe temperare, ac illam cõpeſcere: quod multos prudentes uiros feciſſe & facere, nemo eſt qui inficietur. Quid ergo prohibet hominem ratione utentem, ſponte operantem, brutis plantisq́; diſsimilem concupiſcentiam ſibi ingenitam compeſcere, & licet exæſtuet, cohibere, ne belluarum more in libi-

dinem feratur? Quod tum debet maximè cũ
Deo, cum eccleſiæ non coactus ſed uolens &
ſciens continentiam promiſerit.

Tertio loco obijciunt dictum illud Pauli, primo
Cor.vij. Propter fornicationem unuſquiſque
habeat uxorẽ ſuam. Hoc mandatũ(inquiunt)
ad omnes pertinere, qui non ſunt idonei ad Cę
libatum: propterea melius eſſe nubere, quàm
uri. Et dominum dixiſſe. Non omnes capiunt
hoc uerbum, ſed quibus datum eſt. Mat. xix.
Hoc præceptum ad omnes pertinere, qui do-
num Dei non ſunt conſecuti ſiue ſacerdotes
ſint, ſiue laici. Locutum Paulum de coniugio
tanquam de remedio, & propter illa incendia
iuſsiſſe nubere. Addunt, hoc mandatum; Me-
lius eſt nubere, quàm uri, nullam humanã au-
thoritatem, nullam legem, nulla uota tollere
poſſe: quia hæc non tollunt naturam aut con-
48 cupiſcentiam. De hoc reſpondemus illud Pau
li, Vnuſquiſque uxorem ſuam habeat; indul-
gentis fuiſſe, non mandantis. Suadet enim no-
lentem continere, uxorem ducere: nõ abſolutè
homini ducendam uxorem. Nam poſtquàm
dixerat. Propter fornicationem autem unuſ-
quiſque uxorem ſuam habeat, addidit. Hoc au
tem dico ſecundum indulgentiam, non ſecun-
dum præceptum. Volo autem omnes uos eſſe
ſicut meipſum. Quod eſt dicere. Cupio omnes
cœlibes eſſe, & mulierem non tangere, Quod

non dixiſſet, ſi fuiſſet præceptum. nec dixiſſet. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis eam, non peccaſti. Et ſi nupſerit uirgo, non peccauit: tribulationem autẽ habebunt carnis: ego autem uobis parco. Nõnulli etiam interpretantur Paulum eo capite reſcribere Corinthijs conſulentibus, an eſſet habentibus uxorẽ, abſtinendum à re uxoria; & tunc coniugatos alloqui, Bonum eſt homini mulierem non tangere, cõmuni ſcilicet conſenſu. ſed propter fornicationem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, ſuam ſcilicet non alienam, ad fornicationem euitandam: & unaquæque mulier uirum ſuum. Quod explicat ſubijciens. Vxori uir debitum reddat: ſimiliter autẽ & uxor uiro. Mulier poteſtatem ſui corporis non habet, ſed uir, ut ſcilicet abſtinere poſsit inuito uiro. Similiter & uir ſui corporis poteſtatem nõ habet: nolite fraudare inuicem, niſi ex conſenſu: ne ſcilicet nolens continere, incidat in fornicationem, ſi debitum ei negaretur. Quod autem additur. Melius eſt nubere, quàm uri: non excludit, quin melius ſit cœlibem eſſe, quàm nubere: nec aſtruit alterum illorum eſſe neceſſarium. quoniam qui continens eſt, nec uritur, nec uxori iungitur. Vri enim eũ dicimus, qui continere non uult, & ſtimulo carnis nolens reſiſtere, ſuccumbit. Inde uri malum eſt, tentari autem nequaquã, iuxta illud Iacobi, ca. primo.

Omne gaudium exiſtimate fratres cum in uarias tentationes incideritis. Et Paulus. Tētatiō parit probationem. Et Tobię xij. ad Tobiam Angelus. Cum iuſtus eſſes, neceſſe erat, ut tentatio probaret te. Propterea dictum fuit Paulo
49 Sufficit tibi gratia mea: uirtus enim in infirmitate perficitur, ſecundæ Cor. xij. Et licet arbitrij aut facultatis noſtræ non ſit carere concupiſcentia & ſtimulo carnis nobis cōgenitis; & ea nulla lege, nullo uoto tolli poſsit; noſtræ tamen facultatis eſt, & hoc etiam nobis congenitum cum uolumus (adiuuante diuina gratia) huiuſmodi concupiſcentiæ non aſſentire, & ab eo actu abſtinere, ad quem natura ipſa proni ſumus.

50 Nec his aduerſatur, quòd continentia donū Dei ſit, nec omnes capiant hoc uerbū, ſed quibus datum eſt. Quoniam non adeo Dei donū eſt; quòd illud habentes quaſi prædeſtinati neceſſariò abſtineant, laudante domino eos qui ſeipſos caſtrant propter regnum cœlorum. Se ipſos inquit propria ſcilicet uoluntate, ſuperna tamen adiuti gratia. Et propterea dixit Hieronymus. Nemo putet ex hoc, quòd continentia donum Dei ſit; & ex hoc, quòd non omnes capiunt hoc uerbum, ſed quibus datum eſt, uel ſatum uel fortunam introduci, quòd ij ſint uirgines, quos ad hoc caſus perduxit. Quoniam id datum eſt à Deo ijs, qui petierint, qui uo-

luerint, qui ut acciperent laborauerint. Propè enim eſt dominus omnibus inuocantibus eum in charitate;uoluntatem timentium ſe facit,& deprecationem eorum exaudit.Et donum Dei non dari petentibus pugnat cũ uerbis Chriſti. Sic enim ipſe inquit. Si uos cũ ſitis mali,noſtis bona data dare filijs hominum : quanto magis pater ueſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Quapropter præclarè Euthimius in illud Matt.cap.xix. Soli illi ſermonem hunc ſuſcipiunt & ferunt, quibus datum eſt hoc donum à Deo:datum eſt autem ijs,qui petierint. Petite enim ait, & dabitur uobis. Petentibus inquã non ſimpliciter ſed feruenter & perſeueranter & ſicut oportet. Significatum eſt ergo uirginitatem donũ Dei eſſe,& dari ijs,qui petunt ut oportet. Quod comprobat Chryſoſtomus in eundem locum cũ dixit. Ideo non omnes capere poſſunt, quia non omnes uolunt. Palma propoſita eſt : qui concupiſcit gloriam, nõ cogitet de labore. Nemo uinceret, ſi omnes periculum timerent. Ex eo igitur,quòd quidã â propoſito continentię cadunt,nõ exanimant cæteros. Quod ergo dixit, Quibus datum eſt, illud oſtendit:quia niſi auxilium gratiæ acciperemus,nihil nobis ualeret. Hoc autẽ auxilium gratiæ uolentibus non denegatur. dicit enim dominus, Petite & accipietis. Nec etiam (ut dixit idem Chryſoſto. ad Hebræ. Omel.vij.)

oportet dicere, Non possum continere, & accusare conditorem, quòd ei donum non dederit. Si enim impotentes fecisset nos Deus; nisi sciuisset quòd omnes poterant, non dixisset Paulus. Volo omnes uos esse sicut meipsum. Quin imò cũ eodem Paulo dicere debemus. Omnia possum in eo, qui me confortat, Deus. Quòd si adest stimulus carnis, & cõcupiscentia nobis congenita nunquã tamen deest remedium ei, qui tentatur; quo liberari possit à lapsu: cũ firma fide teneamus quod ait Paulus. Fidelis est dominus, non sinet nos tentari ultra id quod possumus; sed faciet in tentatione prouentum, ut possimus sustinere. Non immeritò Cyprianus postquã Virginitatis consilium à domino & Paulo datum suis laudibus extulit, adiecit. Quòd si diuinis consilijs obuiauerunt tentamẽta, & liberatas mẽtes ad carnales reuocauerunt appetitus, adest Deus fortis; ne spem ponat homo in homine: nec in brachio carnis suæ confidat. Qui mundum uicit, uictoriam suis promittit militibus. His itaque datum est, qui uoluerint: & omnes difficultates superabit larga Dei bonitas; qui dat omnibus affluenter, & nõ improperat eis: qui nobis pollicitus est, Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcunque uolueritis, petetis: & fiet uobis. Et quanuis Paulus locutus sit de coniugio tanquã de remedio aduersus carnis incendia, ne quis

52 uratur: ab ijs tamen diſſentimus,qui cenſuere
coniugium unicũ & omnibus fore remedium.
Quoniam ſi non aliud daretur remedium, ſe-
queretur quòd ſi uxor in aduerſam incideret
ualetudinem, propter quã perpetuò foret im-
potens reddere debitum uiro,ſi nollet uir conti
nere;ſecundã poſſet ſuperinducere:quod utiq;
abſurdum eſſet. Haberet enim quis duas uxo-
res:cum propter infirmitatem anterius matri-
monium non dirimatur. Non ergo ducenda
uxor ſacerdoti, quòd nullum poſsit aliud inue-
niri remedium,ne uratur: ſed alio uti debet re-
medio, & cum Paulo caſtigare debet corpus
ſuum,& in ſeruitutem redigere: humili prece
diuinum implorare auxilium,ut adſit:necnon
poſtulare Dei gratiam,& donum continentię:
Deus enim & pater domini noſtri Ieſu Chri-
ſti pater miſericordiarum,& Deus totius con-
ſolationis non aſpernabitur eum. Et qui dixit;
Petite, & dabitur uobis: pulſate, & aperietur
uobis,exaudiet eum.Qui uerò hæc neglexerit
remedia,ſibi imputet,non expectet ut de cęlo
ſibi demittatur donum continentiæ.

His aſtipulatur Cyrillus libro ix. ſuper Leuiticũ,
cum dixit. Non auditis ex diuinis ſcripturis,ꝙ
certamẽ eſt inter homines carnis aduerſus ſpi-
ritum,& ſpiritus aduerſus carnem? & neſcitis
quia ſi carnẽ ſolam nutriatis,& ipſam frequen
ti mollitie, ac iugi delitiarum fluxu foueatis,

insolescet necessariò aduersus spiritum: & fortior illo efficietur? Quod si fiat, sine dubio eum in ditionem suā redactum suis coget uitijs obedire. Si uerò ad ecclesiam frequenter uenias: aurem diuinis literis admoueas; explanationem cœlestium mandatorum capias, sicut cibis & delitijs caro, ita spiritus diuinis uerbis conualescet, ac sensibus & cupiditatibus robustior effectus carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ: his alitur cibis, his conualescit, his uictor efficitur. Quod quia non facis, noli conqueri de infirmitate carnis tuæ: tu eam aduersus spiritum armas, & potentem facis, cum eam carnibus satias, uino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris. An nescis, quia non potest ædificium istud ecclesiæ ex leprosis lapidibus construi? audi quod dicit Apostolus, Modicum fermentum totam massam corrumpit: expurgate uetus fementum.

Fatemur tamen hanc uocem, Melius est nubere, quàm uri, nulla humana authoritate, nulla lege, nullis uotis tolli posse. Sed hoc non excludit quin sit coniugio continentia præferenda: quòd si quem castitatis uoti pœniteat, nec uelit ipse continere, non propterea ne uratur, ducenda est illi uxor: quoniam ab hac potestate sponte se abdicauit: & cùm ducere non possit,

uti non poteſt hoc remedio; & ſi duxerit, non erit uxor ſed adultera & ſacrilega: nec de his coniugibus dici poterit Deum eos iunxiſſe, & ſi iudicio eccleſiæ ſeparentur, nō tam ab homine quàm à Deo ſeparari cenſeri debent; qui mandauit, Vouete & reddite domino Deo ueſtro omnes qui in circuitu eius affertis munera. Et, Redde altiſsimo uota tua. Siquis uirorũ uotũ domino uouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum uerbum ſuũ. Et ſicut coniugium nō eſt unicum remedium ne quis uratur, ſic nec omnibus. Non enim his poteſt eſſe remedium quibus adhiberi non poteſt: nō ſecus ac ſi imperitus medicus potionẽ alioqui ſaluberrimam porrigeret patienti uomitũ, qui eam aut recipere aut retinere non poſſet.

53 Quarto loco obijciunt antiquos canones non prohibuiſſe coniugia nec contracta diſſoluiſſe: & ſiqui contraherent, remouerentur ab adminiſtratione: nouos canones prohibere contrahere, & contracta diſſoluere contra mandatum Chriſti, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Pugnare itaque pontificiam legem de Cœlibatu cum antiquis conciliorum decreti. Reſpondemus falſum eſſe quod aſſumitur: antiquos canones non prohibuiſſe ſacerdotũ coniugia: cum prohibuerint illa apoſtolorum canones, & quæ ſupra citauimus conciliorum decreta non recentia ſed ante undecies centenos

annos;quę etiam illa ut non iure contracta dissoluerunt,imò irrita esse declararunt, quòd legitimo careant cõsensu;quo sponte non coactè seipsos priuarunt, cum sacros ordines susceperunt. Et sicut habens uxorem legitimo caret consensu,quo posit aliam ducere : sicut qui rẽ suam uendiderit, illamq; emptori tradiderit, alteri uendere prohibetur : sic qui sacros susceperint ordines,qui se religioni addixerint,legitimo carent consensu,sine quo matrimonium irritum est,& inane nõ minus ac infantis coniugium, aut siquis cum matre aut sorore contraheret: nec dici potest Deum hos coniungere,aut homines eos separare, cum non sit legitima coniunctio consensu legitimo deficiente.

54 Quinto obijciunt Grangeñ. concilium cũ dixit. Siquis dixerit presbyterum coniugatum quasi propter nuptias offerre non debere, & ab eius oblatione ideo abstinet,anathema sit. Et habetur in c.Siquis discernit.xxviij.dist.Cui respõdemus eo tempore factum decretum quo permissum erat habentibus uxorem ad sacerdotium promoueri. Siluestro enim Pont. habitũ est Grangeñ.concilium:quod tamen non permittit sacerdotes uxorem ducere, sed tantùm nõ improbat sacerdotem uxorem habere, quã ante sacerdotium duxisset.

55 Sexto obijciunt illud Pauli Primæ ad Timot.capit.iiij. Spiritus autem manifestè dicit, quia in

nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus errorum & doctrinis demoniorum in hypocrisi loquentium mēdacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam prohibentium nubere. Quibus ex uerbis colligunt legem Cœlibatus cum Paulo pugnare, quòd eam dicat legem demoniorū. Respondemus Paulum non hanc legem damnasse, sed spiritu sancto dictante prænunciasse in Ecclesia futuros hęreticos, qui nuptias ī uniuersum damnarent, tanquā illicitas & à demonibus inuentas, quales Encratitæ, Marcion, Manes, & Tacianus fuerunt; quos reprehendit Beda in Omel. De nuptijs Canæ Galilęæ inquiens, quòd si toro immaculato debita castitate celebratis nuptijs culpa inesset, nequaquam dominus ad eas uenire, nec illas signorum suorū initijs consecrari uoluisset. Nos autem nō damnamus nuptias in uniuersum, nō immemores eius quod dixit dominus. Quod Deus coniunxit, homo nō separet: nec obliti eius quod dixit Paulus, His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed dominus, uxorem à uiro nō discedere. non item illius quod dixit. Si acceperis uxorem, non peccasti: & si nupserit uirgo non peccauit. non illius quod dixerat in epistola ad Hebræ. Honorabile connubium, & torus immaculatus. nec ignoramus coniugium esse amoris imaginem, quo Christus complectitur

Ecclesiam. non denique immemores sumus præcepti Petri dati mulieribus, ut sint subditæ uiris suis: & uiris, ut præstent honorem mulieribus tanquam cohęredibus gratiæ uitæ. Sed damnamus eos, qui post uotum cęlibatus uxores ducunt, qui fidem suam irritam faciunt, qui non uxoribus sed sacrilegis & adulteris mulieribus copulantur: permittimus nuptias: neminem ad cœlibatum compellimus.

Septimo obijciunt matrimonium mundum esse, quia sanctificatum uerbo Dei sit, cũ dixit. Faciamus ei coadiutorium simile sui: masculum & fęminam creauit eos, benedixitq; illis Deus. Matrimonium res est licita & approbata uerbo Dei: Christum uocasse coniugium rem diuinam, cum dixit. Quos Deus coniunxit, homo nõ separet. Paulum dixisse, sanctificari uirum infidelem per uxorem fidelem. Non igitur interdicendum coniugium sacerdotibus, cũ deceant eos quæ munda sunt, quæ sancta sunt, quæ bona, quæ diuina. Responsum his dedit Augustinus in Quęstionibus utriusque testamenti, quęst. cxxvij. cũ dixit. Si forte dicatur, Si licet & bonum est nubere, cur sacerdotibus uxores ducere nõ licet? Quis nesciat unũquęq; suam legem habere? Est enim quod omnino generaliter non licet: est item quod alijs licet, alijs non licet. Et est quod aliquando licet, aliquando non licet. Anteq̃ ecclesiasticus sit, licet

ei negociari; facto iam non licet.& Christiano cum uxore sua conuenire aliquando licet, aliquando non licet:propter enim dies processionis non licet conuenire;quia & laicis abstinendum ad tempus ut uacent orationi.Et ex post. Sicut ad comparationem lucernę tenebræ non tantùm obscuræ sed etiam sordidæ sunt:ad cōparationem autem stellarū lucerna caligo est: ad solis comparationem stellæ nubilosæ sunt: ad Dei autem claritatem sol nox est. Ita quæ ad nos licita & munda sunt ad Dei autem dignitatem illicita & quasi ĩmunda sunt. quanquam enim bona sunt Dei tamen personæ non cōpe
56 tunt. Ex quibus Augustini uerbis satis liquet, quòd etsi coniugium mundum sit, uerbo Dei sanctificatum, res licita & sancta, continentiæ tamen comparatum, & habita ratione quales esse debeant ministri Dei, res est impura & sordida: & propterea magis decere sacerdotes & Dei ministros castitatem & continentiam.

Quòd si dixerint interpretandum esse quod dicitur, sacerdotes mundos esse oportere, de munditia cordis. Et Esaiam cum dixit, Mundamini qui fertis uasa domini, iubere ut sacerdotes habeant mentes non pollutas scortatione & alijs sceleribus; sed agant pœnitentiam, Deo obediant, & locupletentur donis spiritualibus, timore, fide, constantia, & cæteris uirtutibus.
57 Respōdemus quod munditiès ista cordis, qualem

decet ſacerdotem, quæ uberior eſſe debet, haberi non poteſt ab ijs, qui matrimonio copulantur. cum carnis uoluptas diſtrahat animum à Dei contemplatione. quanuis enim per actum matrimonij non ſeparetur quis à Deo ſecundùm habitum charitatis & gratiæ: nec de coniugatis dici poſsit illud Eſaiæ. Iniquitates ueſtræ diuiſerunt inter uos & Deum ueſtrum. cum nec crimen ſit, nec peccatum. ſeparat tamen ſecundùm actum contemplationis & dilectionis. quemadmodum per animi occupationem circa res exteriores & licitas ac honeſtas quis retrahi dicitur à diuinorum contemplatione: à qua cũ receſſerimus, minor eſt cordis mundities: quæ comparata ei, quam decet ſacerdotem habere, immunditia dici poteſt, ut ſupra diſſeruimus ex ſententia Auguſtini.

Octauo obijciunt illud Pauli ad Timot. cap. iij. & Tit. ca. primo. Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris uirum. quod non ſolùm permittere, ſed etiam neceſsitatem inducere uidetur. Reſpondemus uerba illa interpretãda, Epiſcopũ oportere eſſe unius uxoris uirum, ideſt nõ plurium non bigamum, nec ſecundæ alligatum uxori: non autem eos, qui prouehuntur, uxorem habere debere, & ſi nõ habeant repellẽdos. Alioqui ipſe, qui uxore caruit, & Ioãnes apoſtolus Epiſcopi non fuiſſent. Cui cõſonat quod dixit Hieronymus in lib. Annotationum ſuper eo-

dem loco Titi. Diaconi sint unius uxoris uiri. non ut si nō habent ducant, sed ne duas habuerint. Si enim digniorem faceret uxor, cur non magis bigami aut trigami ordinarentur?

Quòd uerò dixit Chrysostomus Omel. ij. in epistolam ad Tit. & eius abbreuiator Theophilactus. Siquis est unius uxoris uir, filios habens fideles &c. cum inquit. Cuius rei gratia huiusmodi homines in medium adducit, obstruere prorsus intendit hęreticorum ora, qui nuptias damnabant: ostendens eam rem culpa carere, iure ita esse pretiosam, ut cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum Episcopatus solium subuehi. De sacerdotibus orientalibus seu græcis intelligendum est, quibus licet uti matrimo
58 nio ante ordinationē contracto. Quemadmodum Pelagius non repulit eum ab episcopatu, qui habens uxorem & filios electus fuerat Episcopus Siracusañ. vt habetur in c. De Siracusanæ xxviij. dist. Sequebantur enim Siculi græcorum consuetudinem; uel fuit uxore permittente & continentiam promittente.

Idē Chrysostomus eundē tractans locū Omel. x. in priorem epistolam ad Timot. aliam attulit interpretationem cū dixit, Non hoc uelut sentiens scripsit, quasi nō liceat absque uxore Episcopum fieri, sed ei rei modum constituens, iudæis quippe licebat secundo matrimonio iungi, & duas simul habere uxores. quibus uerbis

bigamiam ſacerdotibus interdictam innuit: & apud græcos eum qui uxorem unam habebat,
59 Epiſcopum conſtitui poſſe. Nil mirum ſi Baſi
lij pater uxorem habuit, cum factus eſt Epiſcopus, ut refert Gregorius Nazianzenus in Monodica in Baſilium: & Polycrates Epiſcopus
60 Epheſi dixerit. Et ego omnium ueſtrum mini
mus traditionem parentũ meorum obſeruo: ſeptem enim ex parentibus meis per ordinem fuerunt Epiſcopi, ego octauus: qui omnes obſeruauerunt hunc diẽ, de die Paſchæ differens, ut refert Euſeb. lib. v. Eccleſiaſt. Hiſt. ca. xxiiij. Sed nõ multùm placet hæc interpretatio: tum quia tẽpore Pauli & annis ante ccc. deſierant hebræi habere duas uxores. & ante id tempus ij tantùm habuerant, quibus diuina reuelatione permiſſum fuerat, & tẽpore quo opus fuerat multiplicari Dei cultores: tum etiam quia non rectè ex illo Pauli loco repellerentur à ſacerdotio qui unam poſt aliam habuiſſent uxorem, ſi de habentibus ſimul duas uxores locutus fuiſſet. Præterea non erat opus Paulum repellere à ſacerdotio duas habentes uxores, cum tempore euangelicæ legis ex Saluatoris præſcripto nulli liceret duas habere uxores, etiã ſi ex gentilitate conuerſus prius duas habuiſſet. ca. Gaudemus. de diuort.

Nono obijciunt de græcis ſacerdotibus, qui habentes uxores licite funguntur ſacerdotio. c. cum

61 Olim. de cleri. coniug. Respondemus id esse, quoniam lex antequàm recepta fuerit, excluditur per desuetudinem sciente & non contradicente legislatore, modo non sit iuris diuini, ex cõmuni Doctorũ sententia in c. j. de treug. & pace. Cuius ratio est, quoniam in lege id tacite actum uidetur, ut post promulgationem recipiatur, & tolerante superiore legem non recipi pro nõ lata habetur. c. in istis. §. leges. iiij. dist. Nec censentur propterea græci legem cõtemnere, aut peccare Papa sciente, & tolerante eorum consuetudinẽ. quoniam nõ semper quod statuit Rom. Ecclesia, uult aut cogit ab omnibus obseruari. Sicut in simili causa dixit canonum interpres, in. c. clerici de uita & hone. cler. ꝙ Transalpini non coguntur uti uestibus affibulatis sicut Itali, non obstante noua constitutione Inno. iij. in concilio generali, de qua in d. c. clerici. quia lex consuetudini Transalpinorũ nõ conueniebat: & ea de causa lex constrinxit eos, qui prius consuetudinem admiserant abstinendi ab uxoribus, quales erant occidentis sacerdotes: græci autem tolerati; quòd apud eos consuetudo foret admitti ad sacerdotium coniugatos; etiam si cõmuni consensu continentiam non pollicerentur.

Decimo obijciunt, in lege permittebatur coniugium sacerdotibus, ergo nec nostris prohibendum: usum moderari posse per interualla, quẽadmodũ laicis suadet Paulus abstinere ad tem-

pus,ut uacent orationi. Nec ex hoc, ꝙ oportet ſacerdotes ſemper orare, oportet eos ſemper abſtinere.quoniam & legis ſacerdotes extra ui cis ſuæ tempus orabant,nec tamē ab uxoribus
62 abſtinebant. Sed huius obiectionis reſponſum colligitur ex decretis ſummorum Pontificum & ſacrorum conciliorum ſupra citatis, quòd ſcilicet ſacerdotes legis per interualla ſeruiebāt altari,noſtri aſsiduè & ſemper. illis permitteba tur coniugium, quòd ex ſola tribu Leui erant ſacerdotes:propterea neceſſaria erat propagatio & coniugium,ne deperiret tribus.illud erat ſacerdotium neceſſarium, noſtrum uoluntarium. illi panes propoſitionis & hircorum ſanguinem Deo offerebant; noſtri panem uiuū, qui de cęlo deſcendit,& hoſtiam quę omnium ſuſtulit peccata. Non itaque, cum non una ſed plures ſint diuerſitatis rationes, ſacerdotum ueteris & noui teſtamenti,ita licet colligere,ſacerdotes ueteris legis extra uicis ſuæ tempus orabant,& uxoribus adhærebant.ergo & ſacerdotes nouæ legis adhærere poſſunt.

Vndecimo obijciunt decretum Ancirañ. concilij cum dicitur. Diaconi quicunque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt dicentes ſe uelle uxores habere, nec poſſe continere: ſi hi poſtea ad nuptias peruenerint, maneant in miniſterio: propterea ꝙ his Epiſcopus licentiam dederit;quicunq; ſanè tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem profeſsi cōtinen-

tiam : si postea ad nuptias peruenerint, à ministerio cessare debebunt. Et habetur in c. Diaconi. xxvij. dist. Quod indicare uidetur etiam promotos ex Episcopi indulgentia posse coniugio
63 uti. Respõdemus id nequaq̃ ex eo decreto colligi, sed hoc duntaxat, ꝙ hi qui protestati sunt se uelle habere uxores, si postea ad nuptias peruenerint, manere possunt in ministerio, propterea ꝙ his licentiam Episcopus dederit, non autem ꝙ retinere posśint uxores : adeo ꝙ in hoc solo differẽtia sit inter eos qui protestati sunt, & illos qui tacuerunt, quoniam hi priuãtur ministerio, illi retinentur : uterq; tamen uxorem dimittere tenetur. Nam etsi illi protestati sint se uelle uxores habere, quia tamẽ permiserunt se ordinari, caracterem receperunt, facto recedentes à protestatione; ex quo irritum est coniugium: & quã duxerunt, post promotionem tenentur dimittere, cũ ordo sacer & cõtrahere impediat, & contractũ dirimat. c. siquis eorũ. xxxij. dist. c. j. de cleri. coniug. c. j. de uoto. lib. vj. Consensus tamen Episcopi eũ eximit à pœna priuationis ministerij.

Duodecimo ut probent promotos ad sacros ordines in græca Ecclesia matrimonio iungi posse, citant decretum Stephani Papę quod habetur in c. Aliter. xxxi. dist. cũ dicitur. Aliter se orientalium traditio habet ecclesiarum; aliter huius sanctæ Rom. Ecclesiæ, nam eorum sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi in matrimonio copu-

lantur ridiculamq; dicunt & sophisticā glossatoris interpretationem cū dicit, copulantur, idest copulato utuntur.quasi copulari non carnaliter misceri significet, sed dūtaxat uxorem ducere.Sed ipsi potius sunt deridendi,ꝙ non legerint uel legisse dissimulauerint quod habetur in sexta Synodo registratū in c. Quoniam xxxi.dist.cum dicitur.In Romani ordine canonis esse cognouimus traditum eos,qui ordinati sunt diaconi uel presbyteri,confiteri ꝙ nō suis iam copulentur uxoribus.Ex quibus uerbis recte colligi potest,uocem hanc copulari significare cum ante susceptis uxoribus commisceri.
64 Idem designat uerbū decreti Stephani, in matrimonio copulantur. Si enim de matrimonij noua coniunctione intellexisset, non dixisset, in matrimonio, sed matrimonio copulantur. Et hic est germanus illius decreti sensus.
Decimotertio obijciunt illud Augustini in lib.De bono Viduitatis ad Iulianum quod habetur in c. Quidam.xxvij. dist.cum dicitur. Quidam nubentes post uotum asserunt, adulteros esse. Ego autem dico uobis, ꝙ grauiter peccant qui tales diuidunt, licet Gratianus citet Augu.lib.
65 de bono coniugali ad Iulianum.Respondemus Augustinum de simplici uoto locutum, quod impedit contrahendum: non tamen dirimit contractum.c.consuluit.c.rursus.Qui cleri.uel uouen.c.i.de uoto.lib.vi.Ratio autē diuersitatis ex sententia Diui Thomæ in.iiij.dist.xxxviij.

arti.iij.eſt quia per promiſsionẽ quæ fit in uoto ſimplici nemo trãſit in alterius poteſtatem; tranſit autem per ſolenne religionis uotum. & per matrimonium: quibus quis amittit ſui corporis poteſtatem. aut etiam quia ſimplex uotũ promiſsio eſt de futuro, ſolenne de præſenti. Et quemadmodum ſponſalia de futuro ſoluuntur per matrimonium uerbis de præſenti contractum, ſic uotũ ſimplex per matrimonium; & quæcunq; uota ſimplicia per ingreſſum religionis. Non autem ratio eſt, ꝙ uoti ſolennis tranſgreſsio peccatum ſit & ſcandalum, nõ itidem ſimplex. quoniam eſſe poteſt ꝙ ſimplex uotũ magis publicum ſit, q̃ ſolenne: & ſolenne ſine ſcandalo, ſi ſolẽniter uouens in longinquis regionibus ubi eius profeſsio ignoraretur, matrimonium contraheret: & ſimplex cũ ſcandalo, ſi publicũ foret & notorium ipſum uouiſſe.

Quòd ſi quis dixerit, ſolẽnitas uoti non maius robur tribuit, q̃ iuramentum: ſed uotũ ſimplex cum iuramento non dirimit cõtractum. c. Requiſiuit de ſponſa. igitur nec uotum cum ſolẽ-
66 nitate. Reſpondemus ex uno aliud nõ inferri: quoniam per iuramentum quis non tranſit in alterius poteſtatem, quemadmodum per ſolẽne uotum. Itaq; ſponſalia etiam iurata ſoluuntur per ſubſequens matrimonium, per quod quis tranſit in alterius poteſtatem, non ꝑ ſpon-
67 ſalia iurata. Illud autem Celeſtini. iij. de quo in c. Rurſus. Qui cleri, uel uouen. ꝙ uotũ ſim-

plex non minus obligat,q̃ solenne aut cũ iuramento.intelligendum est non minus obligare, quia uterq; uoti reus est,& Deum offendit;sed non quo ad dirimendum,his quas diximus rationibus.hęc sanctus Thomas secunda secũdæ, q.lxxxviij.ar.vij.

68 Decimoquarto obijciunt nullum emitti uotum in sacrorũ ordinũ susceptione, cũ castitas promittatur duntaxat quatenus humana fragilitas permiserit.quę uerba minime uidentur coniugium excludere. Respõdemus ꝙ etsi uotum exteriore oris prolatione minime explicetur,publico tamen facto in facie Ecclesię tacite recipitur,cũ scilicet non ignorantes Ecclesiam ipsam spiritusancto dictante cõstituisse,neminem ad sacros ordines conscendere,qui nõ proposuerit se caste uicturum,solenni consecratione ordines suscipiunt à Pontifice sacrorũ administratore.quod indicant.c.Nullum.c.Decernimus.xxviij.dist. c. Quoniam.xxxi.dist. Et ꝙ uotũ sit,attestatur Origenes in Nume.cap.iij. cum inquit.Mihi autem uidetur,ꝙ illius solius est offerre sacrificium indesinens;qui indesinẽter & perpetuò se deuouerit castitati. Eius cõtestis est Beda,quẽ Venerabilem appellarunt, super illud Matth.cap.x.Qui potest capere capiat. cum inquit.Anteq̃ cœperit sacerdos esse per uotum,uideat si potest adimplere promissum. Deinde subijciens. Qui iam consenserit esse sacerdos,uoto castitatis se spõte cõstrinxit.

Astipulantur his. iura, quibus habetur græcos uotum castitatis non suscepisse. c. Vt clericorum. De uita & hone. cleri. c. cũ Olim. De cleri. coniug. & decretorũ aggregator Gratianus in. c. i. xxxviij. dist. cũ dixit. Ecce ostensum est, quod nolentes uouere castitatem nec ad subdiaconatũ, nec ad superiores gradus ascendere possunt. citans Gregorium ad Petrum subdiaconum cũ dixit. Nullum facere subdiaconũ Episcopi præsumant, nisi qui se caste uicturum promiserit. Et alibi inquit. Orientalis ecclesia cui sexta synodus uiuendi regulam præscripsit, uotũ castitatis in ministris non suscepit. eo. c. Quoniam. in fi. xxxi. dist. quod etsi tacitum uotum uideatur; nil tamen repugnat esse solenne, & obligatorium ex canone Anciranũ. concilij. cap. x. & habetur in c. Diaconi. xxviij. dist. Quicunq; sanè tacuerint, & susceperint manus impositionẽ, si postea ad nuptias peruenerint, à ministerio cessare debebunt.

69 Decimoquinto obijciunt quòd dixit Augustinus de Ciuit. Dei. lib. xv. cap. xvi. Continentiam ministrorum inter consilia numerãdam. & habetur in c. Cum igitur. xxxv. q. i. per illud Apostoli primę Corinth. cap. vij. De Virginibus præceptum domini non habeo: consilium autem do. Et iuxta illud Ambrosij quod habetur in c. Integritas xxxij. q. i. Integritas corporis expetenda à nobis est; quã ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola enim

uirginitas eſt, quæ ſuaderi poteſt, imperari nõ
70 poteſt: res magis uoti, ꝗ̃ præcepti. Reſpondemus nemini ab eccleſia imperari uirginitatem aut continentiam. Quoniam ſicut unicuique liberum eſt ſuſcipere ſacerdotium, ſic unicuiq; eſt liberum uirginẽ eſſe aut continentẽ iuxta illud Deutero. xxiij. Si nolueris polliceri, abſq; peccato eris: quod autẽ ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis & facies, ſicut promiſiſti domino Deo tuo, & propria uoluntate, & ore locutus es. Ideo non ſequitur, non decet ſacerdotem uxorẽ ducere. ergo integritas imperatur, quia nemo cõpellitur, ut fiat ſacerdos. Sicut non ſequitur, non licet ei qui habet uxorẽ, illa repudiata aliam ducere. ergo quis uxorem ducere prohibetur: cum non repugnet, quod prius erat uoluntatis, poſtea fore neceſsitatis. Propterea Magnus Baſilius ſermone iiij. Exercitationum ſeu de inſtitutionibus monachoꝝ dixit. Siquidem deſideramus ſecundũ ſimilitudinem Dei caracterem animæ noſtrę per puritatem à uitijs exornari, ut per hoc etiam uitæ nobis perpetuitas accedat, attendamus nobis ipſis, ne forte ſiquid promiſsione indignũ faciamus, in Ananiæ iudicium delabamur. Poterat quidẽ Ananias ab initio poſſeſsionẽ ſuam Deo non promittere. Verũ quoniam reſpectu ad humanã gloriam facto poſſeſsionem quidem & opes ſuas per promiſsionẽ Deo conſecrauit, ut homines eũ imitarentur ob magnificẽtiam,

à condemnatione non recesſit:& tantā cognouit contra ſeipſum indignationem; cuius executor Petrus erat,ut neque pęnitentiæ fores reperiret.Itaq; ante promiſsionē caſtæ uitæ licet uolenti iuxta id quod cōceſſum & legitimum eſt ad uitæ conſequentiam ſibi congruā deuenire,& ſeipſum nuptiarū coniugio cōmittere. Verū enim qui præoccupatus eſt ꝓpter piam profeſsionē cuſtodire conuenit ſeipſum Deo, uelut ſacra quædam Deo dicata donaria, ut ne ſacrilegij crimen incurrat,ſi dicatū per profeſſionem Deo corpus rurſus cōmunis uitæ miniſterio ſordidum faciat.Eodem tamen ſermone cunctos adhortatur ut prudenter & cū exami
7 1 natione uoto ſe aſtringat,cum inquit. Adhortor,ut ne citra examinationem hoc faciat quis, ne inopinatis ſeipſum īmittens certaminibus, deinceps impotens exiſtens, ad reſiſtēdum ingruentibus experimētis inueniatur, recurrens ad ea,à quibus egreſſus eſt, cū pudore & riſu, cū animæ condemnatione rediens ad uitam,& multis ſcandalum fiens,& uitæ ac conuerſationis in Chriſto poſsibilitatē apud omnes ſuſpectam faciens; cuius periculū noſtis omnes,qui euangelia legitis; in quibus ipſa diuina uox dixit. Expedit ipſi magis,ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius,ꝙ ut unum ex puſillis his per ſcandalum offendat. nō enim ſolum deſertoris condemnationi obnoxius erit,ſed & interitus eorum,qui ab ipſo euerſi ſunt. Et ſi ratio-

ciniјs mentē fallentibus ſibi ipſi perſuadere uideatur, φ per bona opera inuitū ſe numen placaturum eſſe cōfidat, quod impoſsibile eſt. Idē præclare docet Bernardus in Tract. De pcepto & diſpenſatione, his uerbis. Regula omni homini proponitur: imponitur nulli. prodeſt, ſi deuote ſuſcipitur & tenetur: non tamen, ſi non ſuſcipitur, obeſt. Quod autem in uoluntate eſt ſuſcipientis, non in uoluntate proponentis, uoluntarium meritò dixerim, non neceſſarium. attamen hoc ipſum quod dico uoluntarium, ſi quis ex propria uoluntate ſemel admiſerit, & promiſerit deinceps tenendum; profectò in neceſſarium ſibi ipſe conuertit: nec iam liberum habet dimittere, quod ante tamen non ſuſcipere liberum habuit. Ideoq; quod ex uoluntate ſuſcepit, ex neceſsitate iam tenebit. quia omnino neceſſe eſt eū reddere uota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua, & ex ore ſuo aut condemnari iam, aut iuſtificari.

72 Decimoſexto obiјciunt decretum ſextę Synodi, quo cauetur, ut presbyter uel diaconus, qui religionis cauſa uxorē expulerit, excōmunicetur: ſi uerò in hoc perſeuerauerit, deponatur. & habetur in c. Quoniam. xxxi. diſt. Reſpondemus de græcis locutam ſynodum, quibus (ut diximus) legem pręſcripſit: Quod in eodem decreto ſubiјcitur his uerbis. Itē oportet eos, qui altari miniſtrant, in tēpore oblationis ſanctorū continentes eſſe, ut à Deo poſsint

consequi, q̃ suppliciter postulant. Potest etiam interpretari de sacerdotibus, qui de uxorũ cõsensu promoti sunt, ꝙ non debent abijcere uxores quo ad curam solicitudinem & necessariorũ subministrationẽ, iuxta decretũ Leonis ix. quod habetur ĩ c. omnino. xxxi. dist. his uerbis. Omnino confitemur nõ licere Episcopo, presbytero, & diacono propriam uxorẽ causa religionis abijcere à cura sua; sed ut uictum & uestitum largiatur: sed non ut cum illa carnaliter ex more iaceat, sicut & sanctos apostolos egisse legimus, beato Paulo dicente. Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circunducendi?

Decimoseptimo obijciunt non esse prudentis uouere, & se tãto oneri quod pauci ferre possunt astringere. iudæos dicere nihil agere aliud Christianos q̃ tradere filios & filias igni libidinis urendos, dum perpetuo eos addicunt cœlibatui, ac ueluti imolare idolo Moloch, igni scilicet cõcupiscentiæ traducendos: plures fore qui continentiam appetentes, sese exponunt grauissimis incontinentiæ periculis.
73 Respõdemus cũ Ambrosio, ergo nemo militet, ne aliquãdo uincatur: nec pedis utatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat: nec oculi intendat officio, qui concupiscentiæ timet lapsum. hac certe ratione tecta nunq̃ essent subeunda, nequis è tecto lapis delapsus nos offendat: nec fabricanda arma; nam pleriq; gladio periere.

Sed nec ſumendus ad ſedandam famem cibus; nonnulli enim faucibus obſtructis interiere. nã & quidã acino, alius uerò pilo ſtrangulatus eſt. Sed & in ipſum Deum hæc noxa perueniret, ſi huiuſmodi querela locum habeat: qui & præcepta tulit: in quibus offendimus omnes: & elementa creauit; quorũ peſtilens afflatus multa
74 hominũ millia ad interitum perducit. Vouentibus autem cum Auguſtino dicamus. Non te uouiſſe pœniteat: immo gaude iam tibi non licere, quod cũ tuo detrimento licuiſſet. fęlix neceſsitas, quæ ad meliora cõpellit. Quòd autem pauci id oneris ferre poſsint, id eſt quia pauci uolunt. Sat eſt ut poſsint qui uoluerint, qui illud à Deo poſtulauerint, qui ad id uitæ genus ſe addixerint. nec carnis ſtimulus aut pugna illa continua damnanda, cum pręmia propoſita ſint legitimè certãtibus: & quo diuturnior eſt pugna, inſignior eſt uictoria.

Nec ſibi blandiantur ſacerdotes concubinarij, ꝙ non uiolent uotum, ſed duntaxat, ſi acceperint uxores, ex eo ꝙ uotũ non ſit de his quæ à Deo præcepta ſunt, ad quæ quis aſtringitur diuino mãdato. quoniam & de his quæ alias pręcepta ſunt, uotum fieri poteſt: ſicut habetur Gene. cap. xxviij. de Iacob; qui poſt ſcalæ, & angelorum aſcendentium & deſcendentium uiſionẽ, poſt plura quæ pie locutus eſt, uotũ uouit his uerbis. Si fuerit dominus mecum; & cuſtodierit me in uia, per quã ambulo; & dederit mihi

panem ad uescendum, & indumentum ad induendum; reuersusq; fuero ad domum patris mei, erit mihi dominus in Deum &c. Quemadmodum etiam iuramentũ præstatur in his, ad quæ quis aliter tenetur; cum quis iurat de restituendo depositum aut mutuatam pecuniam, & testis de ueritate dicenda.

75 Decimooctauo obijciunt canonẽ xvi. Chalcedoneñ. concilij & habetur in c. siqua uirgo. xxvij. q. i. in quo postq̃ dixerat Virginem quę se domino Deo consecrauit, similiter & monachum non licere nuptialia iura contrahere. ꝙ si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excõmunicentur. subijcitur. Confitentibus autẽ decreuimus, ut habeat authoritatem eiusdem loci Episcopus misericordiam humanitatemq; elargiri. uidetur enim saltem dispensatiue & uirginẽ sacram, & monachũ posse in coniugio permanere. Respondemus canonũ interpretes id exponere non de dispensatione, sed Episcopũ misericordiam & humanitatem elargiri posse in relaxatione pœnæ, uel mitiori reconciliatione.

76 Decimonono citant Cyprianum, quẽ aiunt suadere ut mulieres nubant, quæ non seruant promissam castitatem. cuius uerba hæc sunt, lib. i. epistola xi. Si autem perseuerare nolunt aut non possunt, melius est, ut nubant, quàm in ignem delitijs suis cadant. Respõdemus Cyprianum locutum fuisse de his uirginibus, quę statum suũ continenter & firmiter tenere de-

creuerunt, de quibus consultus fuerat; non de his, quæ castitatem uouissent; quas teneri ad uoti obseruationem ipsemet comprobauit plu ribus testimonijs ueteris & noui testamenti, lib.iij. ad Quirinum. cap.xxx. Diuersa enim sunt propositum uirginitatis habere, & uotũ castitatis emittere: propositum mutari potest: uotum, potissimũ cum solenne est, nequaꝗ̃.

77 Vigesimo obijciunt illud Toletañ. concilij cum dicitur, Tolerabilius esse stultæ promissio nis uota reijcere, ꝙ per inutilium promissorũ custodiam, criminum implere mensuram. & habetur in c. si publicis.xxij. q.iiij. Item illud Ambrosij lib.primo Officiorum, quo dicitur. Est etiam cõtra officium nonnunquã promissum soluere. propterea dãnatur Herodes, qui cum iurasset se daturum quicquid postularet Herodiadis filia, caput Ioãnis præstitit, ne pro missum negaret. Et habetur in c. Est etiã. xxij. q.iiij. & excusatur Dauid ꝙ ad preces Abigail prudentis mulieris abstinuit à cede & direptio ne bonorum Nabal: quod tamen prius iurauerat. & habetur in c. Quod Dauid. ea. ca. & q. Cum igitur plures stulte & incõsulte uoueant continentiam, quam postea seruare nequeunt, uidetur eis licere à promissis resilire, & uxorẽ ducere: ut scortationes, incestus & alia flagitia

78 euitentur. Respondemus Toletañ. concilium & alia iura quæ citauimus, sensisse de illicitis promissis, quæ sine dispendio æternæ salu tis

seruari non possunt. At seruare castitatem nõ recidit in detrimentum salutis æternæ. immo tutior est uia ad eam consequendam. Quapropter etiam qui inconsultè promisisset seruare teneretur: nec excuset excusationes in peccatis, ꝙ continere nõ posit, quoniam nõ potest, quia non uult. uelit, & poterit.

79 Vigesimo primo obijciunt, si ex inedia uitæ periculum imminêret, liceret ieiunium soluere: cur & sacerdoti si ex ueneris abstinentia (quod fieri potest) in aduersam incideret ualetudinem, cui mederi non posit nisi ex usu ueneris, non licebit uxorem ducere? cum hęc uiri & mulieris coniunctio peccato careat. Licere autem propter uitę periculum ieiunium soluere exemplum habemus de Spiridone Cyprio

80 Episcopo lib.j.cap.x. Tripart.hist. qui cum instante iam quadragesima amicus ad eũ ex itinere diuertisset, quibus diebus consueuerat cũ suis continuare ieiunia, & die certo comedere, uidens peregrinũ ualde defectum, nedum soluit ieiunium, sed etiam carnes suillas, cum nil aliud domi haberet reconditum, cum eo comedit: ne ille qui cibo egebat, recusaret quadragesimæ tempore carnes comedere, & fame periret. Quôd si id licuit Spiridoni pro alterius salute; multo magis licere debet uti Venere pro suimet conseruatione. Respondemus non admittendum, uitæ periculum posse imminere ex Veneris abstinentia: nec recte comparari

cibi,& Veneris abstinentiam,cum hæc ad speciei,illa ad indiuidui conseruationem à natura animantibus sit tributa.

NON ABROGANDVM DECRETVM COELIBATVS.

81 Cum tot sacrorum conciliorum,tot sanctissimorum patrū testimonijs, tot insuper rationibus & argumentis satis perspicuum sit rite esse latam legem celibatus sacerdotum, cumq; satis constet q̄ sint aduersariorum rationes infirmæ, qui legem inualidam, & impossibilem eius obseruationem asserere nituntur, non desunt tamē qui media quadam uia incedere uolentes in ea sint sententia,q̄ cum in tanto sacerdotum numero rari admodum sint, qui caste uiuant,complures autem inueniantur qui palàm cōcubinas habeant,aut secretis libidinibus contaminentur, unde & diuina mysteria cum minore q̄ par sit reuerentia contrectantur, & ob uitam rectorum ecclesiæ probrosam, contemnatur à populo eorum doctrina,ludibrioq; habeatur ecclesiasticus ordo, ecclesiam posse & debere antiquata priori lege statuere,ut qui uellent ex sacerdotibus permanere nuptiarum immunes, permitterentur uti libertate, degerent solitarij atque singulares, & sine coniugis consortio. Qui uerò frustra tentatis remedijs uincere carnis rebellionē non possent, permitterentur etiam post ordinationem ducere uxorem,cum qua caste uiuerent; & quā haberent

pro

pro remedio suæ infirmitatis, non ad uoluptatem. Culpantes tamen eos qui priuata authoritate spreto legis præscripto & ecclesiæ authoritate id præsumpsere, suam assertionem exẽplo confirmantes; cõmutasse ecclesiam nocturnas uigilias cum ieiunio diurno, & uespertinã refectionem cum meridiana propter scandala & hominis imbecillitatem: cœlibatum nõ esse necessarium ad salutem: potuisse à græcis per desuetudinem antiquari legem, cur nõ possent latini ecclesiæ authoritate? cõsueuisse ecclesiam etiam bonas leges pro rerum & temporũ momentis mutare, cũ maxime quę utiles fuere ad detrimentum uergere deprehendantur, & eo careant effectu, propter quẽ sunt constitutæ.

82 His fauere uidetur sanctus Thomas secũda secundę. q. lxxxviij. ar. xi. cũ fatetur continentiæ uotum non essentialiter ordini sacerdotali annexum, ab ecclesia indictum ab eadẽ ecclesia tolli posse, quemadmodum Lateranẽ. concilium sustulit prohibitionem iungendi se matrimonio his qui consanguinei uel affines fuissent quinto sexto aut septimo gradu. c. Nõ debet. De consang. & affi.

Abbas etiam Siculus insignis canonum interpres huic sententiæ subscripsit in c. Cum olim. De cleri. coniug. his uerbis. Credo pro bono & salute animarum, ꝙ esset salubre statutum ut uolentes continere & magis mereri, relinquerentur uoluntati eorum; non uolentes autem con-

tinere,poſſent contrahere.quia experientia do cente contrarius prorſus effectus ſequitur ex illa lege continentiæ;cum hodie nõ uiuant ſpiritualiter,nec ſint mundi; ſed maculentur illicito coitu cum eorum grauiſsimo peccato,ubi cũ propria uxore eſſet caſtitas.c.Nicena.xxxi. diſt. Vnde deberet eccleſia facere quod bonus medicus,ut ſi medicina experientia docẽte magis officit ꝙ proſit,eam tollat. Cui conſenſit & Pius.ij.Pont.ſi Platinæ credimus.

83 Accedit ꝙ non pugnat coniugium cũ ſacerdotio:quoniam non ſolum cum uir conſentiente uxore ingreditur religionem, etſi teneatur & ipſa caſtitatem ſeruare aut profiteri,uxor tamen manet, cum uinculum ſola morte diſſoluatur: Quin potius eſt dare caſum etiam in occidentali eccleſia,in quo maritus ſacerdos tenetur reddere debitum uxori: quando ſcilicet maritus inuita uxore ſacros ſuſciperet ordines. de quo in c. Verum. De conuer. coniug. tunc enim caracterem reciperet, & fieret uerus ſacerdos,maneret tamen matrimonium,& uxori repetenti teneretur adhærere,& debitũ reddere.nec enim ſacri ordines matrimonium di-

84 rimunt, niſi cũ prius ſuſcipiuntur. Poteſt etiã quis eſſe monachus ſua conſentiente uxore,& tamen cõpelli uxori adhærere,cũ ſcilicet uir de uxoris licentia religionem ingreditur,ipſa non profitente caſtitatẽ: factus eſt enim uerus monachus:& licet uxor,ꝙ dando licentiam ſerui-

tuti renunciauerit, illum repetere non poſsit; Epiſcopus tamen ex officio iure poterit monachum de monaſterio abductum uxori reſtituere, ex doctorum ſententia in c. Cum olim. De cleri. coniug. Quod etſi mirum uidetur, cõmuni tamen ſententia receptum. Illum autem fore uerum monachum colligimus ex eo, quòd mortua uxore ad monaſterium redire compellitur; & ſi cum alia contraheret, eſſet ſeparandus, ut ſtatuit Vrbanus iij. & habetur in c. Ex parte. De conuer. coniug. Niſi enim uerus monachus foret, minime diſſolueretur ſecundum matrimonium.

Nobis placere non poteſt hæc ſententia: nec enim in controuerſijs religionis & fidei diuidere aut moderari debemus ſententias, quemadmodũ arbitri aliquid utrique parti cõdonantes, ut hi facere uidentur, qui ueræ & antiquę religionis cultoribus concedunt id nequaquã licere priuata authoritate & quandiu extat lex cœlibatus: aduerſarijs uerò propter publica q̃ prętexunt ſcandala, & animarum periculum mutari poſſe, atque debere etiam quoad eos qui in ſacri caracteris ſuſceptione uotum emiſere. Nobis autem uidetur neutrum cõcedendum, quoniam & ſi arbitramur eccleſiam antiquata cœlibatus lege poſſe decernere, ne in poſterum à promouendis continentiæ uotũ exigatur, quo fieret, ut non peccarent ſacerdotes qui uxores ducerent. Non tamẽ id ſtatuendum putamus, cum

illæ eędem uigeant rationes, propter quas indi cta fuit lex cęl batus, quibus recepta, & quibus per tot secula usu cõprobata. non enim coniugio distrahendi sunt sacerdotes à diuinarum rerum contemplatione, nõ à iugi altaris ministerio; non indulgendæ uoluptates, quæ impuros ac immundos eos reddant, non trahendi ad secularia negocia ut augeant patrimonium, & filijs thesaurizent; non danda occasio dilapidandi Ecclesiæ bona; non confundendi cũ ecclesiæ periculo clericorum & laicorum ordines, quod esset omnes ad secularem uitam traducere: quę potiores causæ fuere condendæ legis cęlibatus.
86 Nec ideo mala lex, ꝙ multi sint præuaricatores, non ideo abroganda ꝙ à pluribus uioletur. quoniam omnes ferè leges eadem ratione abolendę forent; eadem ratione tollenda omnia iudicia, ꝙ legum multi sint præuaricatores, ꝙ legibus, quæ factæ sunt ut mali puniantur, & boni in pace uiuant, iniusti iudices abutantur, iustos & insontes sæpe condemnando, & noxios absoluendo. Nec enim uinum malum est, ꝙ eo
87 plures ebrij fiant. proinde cum Augustino ad Publicolam dicere possumus. Absit ut ea quæ propter bonum & licitum facimus, siquid propter hoc præter nostram uoluntatem cuiquã mali acciderit, nobis imputetur. alioqui non plantanda arbor, ne quis in ea se suspendat, nec fenestra facienda, nequis ex ea se præcipitet. & habetur in c. De occidendis xxiij.q.v.non igi-

tur imputandum legi, ꝙ mala ſit, ꝙ ex illius præuaricatione plura ſequantur ſcandala, ſed illius tranſgreſsioni. Quòd ſi dicatur ad ea quę raro eueniunt, iura non reſpicere; raro autem accidit, ꝙ quis ex arbore ſe ſuſpendat, è feneſtra ſe præcipitet, aut uino ſe inebriet. at uero accidit ſæpius, ut ſacerdotes ſint incontinentes impuri ſcortatores & adulteri. Ferenda igitur noua lex, quæ his occurrat malis, & cœlibatus lex abroganda, ꝙ inutilis ſit; ꝙ laqueum inijciat; ꝙ minime obſeruetur. Reſpondemus id non recte colligi, quoniam ſi legis tranſgreſsio iuſta eſſet cauſa legis abrogandæ, daretur improbis occaſio optimam quanq; legem tranſgrediendi, ut eo leuarentur onere, opusq́; foret cunctas leges abrogare, quæ ad bene beateque uiuendum ſunt inſtitutæ. At (inquiunt) abroganda lex, ꝙ pariat infinita ſcandala, peccata & corruptelam publicorum morum. Itē abrogandę leges cum uergunt in detrimentum reipublicæ. c. Suggeſtum. De decimis. Sed hæc obiectio facile diluitur ex eo ꝙ non leges bonæ in detrimentum uergunt reipublicæ, non ſcandala pariunt, non corruptelam publicorū morum;
88 ſed earum contemptus & tranſgreſsio; tollenda itaque tranſgreſsio non ipſa lex; quæ mala huiuſmodi uetat, & punit. Quod uero aiunt ſublata lege cęlibatus & permiſſo coniugio, quod aduerſus ſtimulum carnis eſt ſaluberrimum remedium, omnis illiciti concubitus

occaſionem tolli. cõſulendum igitur permiſſo
89 coniugio imbecillitati humanæ, refelli facile
poteſt, ꝙ nec eo ſecuri eſſemus tolli omnem libidinem. Videmus enim innumeros coniugatos non ſua contentos uxore, alienas appetere, (ut ſunt furtiuæ aquæ dulciores) concubinas alere, & ad uaria libidinum genera delabi. nec tamẽ tollendum coniugium ut minus peccent homines, ꝙ adulterium graue ſit delictum.

Nec admittimus quidem quod dixit Abbas Siculus, tollendam cęlibatus legem, ꝙ magis officiat ꝙ̃ proſit, ad medici imitationem, qui à pharmaco abſtinet propinando, cũ experientia didicit
90 illud magis obeſſe ꝙ̃ prodeſſe. Quoniam nil obeſt lex cęlibatus ſed iuuat & prodeſt; obeſt
91 autem eius tranſgreſsio. Imitandi ſunt peritiores medici, qui ægrotis perſuadere conantur, ut medicinam recipiant, receptam retinere nitantur, nec abijciant, etiam ſi nauſeam faceret; quam ſi ad primum aut ſecundum ſtomachi motum impatiens turbationis euomuerit, nec retinere conatus fuerit, nõ medici culpa eſt ſed ægroti, ſi medicina ſua careat uirtute, & ipſe deterius ſe habeat.

92 De ſancto autem Thoma dicimus quòd & ſi aſſeruerit tollere eccleſiam poſſe cœlibatus legem, quod nec ipſi quidem negamus: non tamen perſuaſit tollendam, & indulgendum coniugium conſtitutis in ſacris. Quanuis autem ſi coniugatus inuita uxore fiat ſacerdos aut mo-

nachus teneatur uxori debitum reddere, rite tamen administrare non poterit, & carebit, ni perperam fiat, usu & executione ordinis, quia pugnare inter se uidentur coniugalis coniunctio & sacerdotium.

93 Postquàm disseruimus ꝙ non licet, ꝙ non decet, ꝙ non expedit legem cœlibatus sacerdotum abrogare, cõsequens est ut quæramus; an, si adsit urgens necessitas aut utilitas, liceat speciali quodam casu cum aliquibus super huiusmodi uoto dispensare. Pro cuius quæsiti respõ-
94 sione præmittendum ꝙ in his, quæ sunt semper & omni casu bona, nulla fieri potest dispẽnsatio; qualia sunt primę tabulę diuinæ legis pręcepta, quales & articuli fidei; de quibus Leo magnus censuit, ꝙ nulla possunt ratione conuelli, & habetur in c. Sicut. xiiij. dist. In his etiam quæ semper & omni casu sunt mala nullatenus dispensandum, nec præcipienti obediendum: & ea sunt de quibus dixit Phylosophus iij. Æthi. ad quæ homo cogi non debet, sed magis moriendũ patiendo durissima, ut eius uerbis utamur. In medijs autem quę sui natura indifferentia sunt, ad bonum & malum moris; uel quæ cõmuniter mala sunt, sed aliquo casu expediunt, superioris auctoritate quod prius illicitum fuit, licitum redditur contra iuris rigorem dispensando; non minus ꝙ̃ in his quæ sui natura nec bona sunt, nec mala, sed dũtaxat illicita, quia prohibita: quomodo esus ligni in

medio paradisi Adæ fuit illicitus.

Secundo præmittendum est, ius naturale dispensationem à Deo recipere, & ab ecclesia declarationem seu interpretationem, non in fine siue intentione: quoniam finis operis honestum est & bonum; contra quem nemo dispensare potest, cum nec Deus ipse dispenset, ut quid mala fiat intentione, minusq; ꝙ propter malum fiat. quoniam id esset contra seipsum dispensare, & sibi ipsi opus suum aduersaretur. proinde non dispensauit ꝙ Israelitæ in exitu Ægypti furtum cõmitterent, ꝙ furtum sit contrectatio rei alienæ inuito domino ex auaritiæ libidine, quod est turpisimum: sed dispensauit Deus de actu separato à fine malo, & per consequens a specie & natura furti iungendo illud fini bono. Cum enim ipse omnium sit dominus, potuit Ægyptiorum bona in filios Israel transferre, qui non cõmiserunt furtum res alienas subripiendo, sed ministerium præstitere, ut dixit Augustinus in lib. Quęstionum Exodi. Simili modo in præcepto Abrahæ de occidendo filium, præceptum Non occides, non habuit dispensationem ex parte finis habentis speciem peccati, ꝙ scilicet quis innocens nedum filius feruescente ira ad uindictam occideretur: sed dispensatum fuit à Deo ad alium finem; qui fuit probatio obedientiæ, quæ posteris foret exemplo; & ut foret figura sacrificij, quo pater obtulit filium suũ pro humani generis redem-

ptione. Hinc ſanctus Thomas, Albertus, & Bonauentura qui & alia poſuerunt exempla, dixerunt hanc fore cauſam, ꝙ in præceptis decalogi in quibus poteſt fieri hæc ſeparatio, qualia ſunt præcepta ſecundæ tabulæ, quæ ad proximi dilectionem diriguntur, diuina fit diſpenſatio, & ab eccleſia diuinæ mentis interpretatio; ſecus in primæ tabulę præceptis; quę immediate ordinem ad Deum reſpiciunt.

Tertio præmittendum eſt, ꝙ quemadmodum naturali iure diuinoq́; præcepto uotum quis implere tenetur, eodem iure naturali & diuino aſtringitur parere ſuperioris mandato; quódq; cum diſpenſatur in aliqua humana lege, non fit ut humanę legi non pareatur, quod eſt contra legem naturæ & diuinum mandatum: ſed fit, ut quod erat lex, hoc caſu non ſit lex ſublato legis uinculo. quo etiam modo ſuperioris authoritate diſpenſatur in uoto, ut quod ſub eo continebatur, nõ amplius contineatur, inquantum decernitur hoc caſu non adeſſe cõgruam materiam uoti. Et fuit ſententia ſancti Thomę ſecunda ſecundæ. q.lxxxviij.ar.x.

Quarto præmittitur, quòd maior eſt authoritas ſummi Pontificis in his quæ ſunt ſupererogationis, quàm prælati regularis in ſibi ſubiectos in his, quæ non ſunt de neceſsitate ſuæ perfectionis; cum rationi congruat eſſe in eccleſia ali-

prouidiſſet Deus eccleſiæ ſuæ, de qua dixit in figura ſynagogæ, Quid potui facere Vineæ meę & non feci? Eſaię. v. Et ſi non liceret diſpenſare cum adeſt cauſa quod inſtitutum eſt propter charitatem, contra charitatem ſuſtineretur, quod improbat D. Bernar. in lib. De pręcep. & diſpen.

95 Ex his colligitur, quòd cũ continentia ipſis, qui uouerunt non ex his ſit quæ ſemper bona ſunt, aut ex his quę ſemper mala & omni caſu, cumq; ſit dare caſum, in quo eius obſeruatio contra charitatem eſſet, conueniret & deceret, ut ſi is qui ſuprema fungitur poteſtate intellexerit magis expedire Eccleſię quempiam nubere, qui continentiam uouiſſet, quàm ſeruare caſtitatem, cum eo poſsit & debeat diſpẽſare, ut nubat. Proinde pro pace concilianda, ardente bello in quo multorum Strages immineat, aut etiam conſeruanda, pro conuerſione magni Regis & regni ſui ad fidem, & ſimilibus cauſis poterit etiam cum monacho diſpenſare. Quis enim ambigat magis eccleſię expedire bella ſedari, conſeruari pacem, Regem aut Reginam cum uniuerſo populo ad fidem conuerti; quàm monachum unum, aut monialem perpetuam ſeruare caſtitatem? & qui contrarium cenſeret, neceſſe foret fateri in errorem
96 lapſos & perperam egiſſe Rom. Pontifices, qui quandoq; diſpenſarunt, ut Celeſtinus iij. cum Conſtantia Rogerij Sicilię regis filia Federi-

ci iiij. matre ut Alexander iiij. qui Venetijs exi
ſtens pro reparanda Iuſtiniana familia cũ mo-
nacho diſpenſauit, & alij Pontifices cum Ra-
miro Aragonum, & Ioanne Notho Portugal-
lię regibus.

97 Sed affert difficultatem Innocentij iij. de-
cretum, quod habetur in c. Cum ad monaſte-
rium. De ſtatu regul. cum reſcribens Abbati
& conuentui Sublaceñ. inquit. Abdicatio pro-
prietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt
annexa regulę monachali; ut contra eam nec
ſummus Pontifex poſsit licentiam indulgere.
quẽ ſecutus ſanctus Thomas ſecunda ſecundę
q.lxxxviij.ar.ij.dixit, quòd quoniam continen
tię uotum ex eccleſię ſtatuto, non autem eſſen
tialiter annexum eſt ordini ſacro; in uoto con-
tinentię poſſet eccleſia diſpenſare, etiam ſi ſo-
lenne fuerit per ſacri ordinis receptionem. Nõ
poſſe autem cũ monacho diſpenſare quoniam
eſſentiale ſtatui religionis, per quem homo ab
renunciauit ſeculo, totaliter Dei ſeruitio man-
cipatus, quod non poteſt ſtare cum matrimo-
nio, in quo incumbit neceſsitas procurãdę uxo
ris, prolis, & familię iuxta illud Apoſtoli pri-
mę Corinth. cap.vij. quòd qui eſt cum uxore,
ſolicitus eſt quę ſunt mundi. Sed hunc nodum
ſoluunt ſacrorum canonum profeſſores in d.c.
Cum ad monaſterium, quetſi Rom. Pontifex

nachatui essentialiter annexa sit cõtinentia & paupertas; potest tamen facere de monacho non monachum; eum, qui monachus est, absol uendo à religionis uoto; quod est obedientiæ paupertatis, & castitatis. quo casu nõ dicemus monachum posse uxorem ducere; sed eũ, qui fuit monachus. Et est simile ac si diceremus paries albus illustratus lumine non potest nõ disgregare uisum; ꝙ albedini tanquam proprietas inseparabilis sit uisus disgregatio. & ferrum candens non potest non adurere & non calefacere; & tamen deleta à pariete albedine non amplius uisum disgregabit; nec ferrum ignitum postquàm erit refrigeratum aduret, nec calefaciet. Sicut & seruus cum seruus fuerit, gerere magistratum non potest; donatus libertate potest. Sic cum quæ essentialia sunt monachatui, essentialia nõ sint personę existenti monacho, separari unum ab alio poterit; quod nõ credimus fore contra mentem Innocentij & sancti Thomę. Sed eo modo interpretandam eorum sententiam: cum uerisimile nõ sit Innocentium ignorasse factum Celestini sui nullo intermedio prędecessoris; quod omnibus innotescebat, de Cõstantia scilicet moniali Rogerij regis filia matrimonio copulata Henrico. vj.

Quod si quis dixerit, nulla erit ergo differentia inter monachos, & habentes sacros ordines, quos ea ratione disiunxit sanctus Thom. quòd huic non sit essentiale, illi uero sit. Respondemus ꝙ

imò magna eſt differentia; quoniam monacho non licet, niſi deſinat monachus eſſe, ordinato licet ipſo retinente ordines, & ſi eorum careat executione.

98 Sed alia adhuc occurrit hęſitatio, ſi Rom. Pontifex poteſt caſu aliquo dirimere matrimonium ſpirituale religioſi faciendo eum de monacho non monachum, & habilem conſtituere ad coniugium; uideretur per locum à maiori poſſe etiam carnale coniugium dirimere, etiam carnis cõmixtione confirmatum. cum difficilius deſtruantur ſpiritualia, quàm corporalia. Et propterea cum ſępius dirimat coniugium ſpirituale, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam tranſlatione, ceſsione, aut depoſitione, illum à uinculo, quo eccleſię tenebatur, abſoluendo ex ſententia Inno.iij. quę habetur in c. Inter corporalia. De tranſlat. pręlat. uidetur etiam dirimere poſſe carnale coniugium. Reſpondetur diuerſam fore utriuſque rationem. quoniam in carnali matrimonio, quod eſt Eccleſię ſacramentum, quis non ſolùm Deo obligatur, ſed etiam homini: quia non habent coniuges ſui corporis poteſtatem. In uoto autem quis ſoli Deo obligatur: quam obligationem remittere poteſt eius Vicarius, cuius idem eſt tribunal cũ Chriſto. c.ij. c. Quanto. De trãſlat. prelat.

uinculum magis aſtringat, q̃ unicum. Quòd ſiquis dixerit, etiam religioſus Deo & homini obligatur, quãdo in profeſsione pollicetur obedientiam ſuperiori ſuo, tradens ſe ei quodãmodo in ſeruitutem. Reſpondetur, ꝙ religioſus ſe tradit in ſeruitutem non huius uel illius hominis, ſed ſuperioris ſui recipientis uice Dei obligationem. hinc eſt, quòd Abbate ſeu ſuperiore uita functo, aut dignitate amoto, non ſoluitur eius uinculum: ſed manet quouſque uiuit; aut is, qui uices Dei gerit in terris, eum abſoluerit. Maritus autem uel uxor huic uel illi particulariter alligantur, quod uinculum ſola morte diſſoluitur.

Quòd etſi hęc potior uideatur ſententia, Romanum ſcilicet Pontificem ex graui & urgenti cauſa diſpenſare poſſe cum approbatę religionis profeſſo; ut uxorem ducere poſsit: non tamen putamus cum his diſpenſandum; qui authores fuere ſchiſmatis, ne eiſdem aut alijs anſam tribuamus importunius petendi abolitionem legis cęlibatus: cum minus indignè ſtatui poſſet non exigendam in ſuſceptione ſacerdotij, aut regularis habitus promiſsionem perpetuę continèntiæ, quàm cum his diſpenſare, qui ſe uoto aſtrinxerunt; inducti etiam alia ratione, quoniam etſi parcendum ſit multitudini, cum ſine ſcandalo pœnis debitis affici non poteſt ex ſententia Auguſtini ad Bonifacium, & habetur in c. Vt conſtitueretur l. diſt. & in c.

Infideles xxiij. q. iij. authores tantùm delicti, & ij quos magis cauſam delicti eſſe conſtiterit, puniendi ſunt. c. latores. De cleri. excom. miniſtra.

Ex his igitur, quę diſſeruimus ſatis perſpicuè conſtare credimus Virginitatis, continentię maritalis, & Cœlibatus dignitatem; iuſtiſsimiſq́ue cauſis, auſim dicere & neceſſarijs ab eccleſia exigi perpetuum Cœlibatum à promouendis ad ſacros ordines: eiſdemq́; de cauſis non abrogandam legem à tot ſanctiſsimis Pontificibus, à tot ſacratiſsimis concilijs promulgatam. & quàm infirmę ſint rationes, quibus aduerſarij ſuũ errorem ſtabilire conantur. Gratias itaq; agimus omnipotenti Deo; qui nos ad finem huius laboris perducere dignatus eſt; cui honor, & gloria in ſempiterna ſecula.

❡ Impreſſum Venetijs.

M. D. LIIII.